Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Stegmann

Technopaegnium Poeticum Varios Artis Poeticae Lusus Exhibens Tam quoad accidentia Grammatica, Rhetorica, & Logica quam figuras Mathematicas. Cui Coronidis loco Symbola Unius cuiusq[ue] Imperatoris Rom. Imperii, A Caio Iulio Caesare Usq[ue] ad Leopoldum I. ...

Wismariae: Martini, 1682

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281/phys_0001
DFG

Cq_3855.
~~CII. f_3131.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730521281/phys_0002
DFG

C.U. p. 3131.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281/phys_0003
DFG

TECHNOPÆGNIUM POETICUM,

VARIOS
ARTIS POETICÆ LUSUS
EXHIBENS

Tam quoad accidentia Grammatica, Rhetorica, & Logica, quam figuras Mathematicas.

Cui

Coronidis loco

SYMBOLA

Unius cujusq; Imperatoris Rom. Imperii,

A

CAJO JULIO CÆSARE

Usq; ad

LEOPOLDUM I.

Hodié per DEI gratiam Imperantem,

Imposita.

Bono Discentium

Publicare voluit

CHRISTIANUS Stegmann
Brandenburgo Marchicus.

WISMARIÆ, Typis MATTHIÆ MARTINI,

Anno M DC LXXXII.

C. II. f. 3131.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730521281/phys_0005
DFG

12. a. 6.

Horatius de Arte Poëtica v 332.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Et paulo post. v. 343.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS

DOMINIS

CONSULIBUS,

SYNDICO,

CÆTERISQUE

ORDINIS SENATORII

REIPUBLICÆ

VVISMARIENSIUM

INCLYTÆ

PRUDENTISSIMIS SPECTATISSIMIS

Dominis Patronis, Mæcenatibus & Promotoribus meis debito venerationis cultu perpetim suspiciendis,

Salutem & Prosperitatem.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281/phys_0007
DFG

VIRI
MAGNIFICI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI,

Cum nuperiori anno *Alstedii illius variæ eruditionis Viri* Encyclopædiam percurrerem, inq; ejus inciderem Poëticam, hoc inde Technopægnium componere motus operæ pretium duxi. Quod tamen Criticorum, cæco affectu sæpe judicantium, non subjecissem judiciis, minus multò librorum innumerum eo ipso multiplicassem numerum, dum me illud Poëtæ effatum:

Tenet insatiabile multos

Scribendi cacoëthes, animo mecum subinde volutantem non semel reformidavit; Nisi utilitas publica, cui nati sumus: & Præclarissimorum Virorum, optimè de aureo Poëseos studio judicãtium, Authoritas, cui omninó parendum, malevolorum discussisset invidiam. Si enim verum, quod *Tullius* noster (*l. 3. de Leg.*) commemorat: *Populi salus suprema lex esto*; Falsum non erit, si docentium ordo, hanc sibi legem fixam esse censens, dicit: *Discentium salus docentibus suprema lex esto*. Quid autem Poësi divinâ illâ arte, quid, inquam, studiosis eloquentiæ

tiæ utilius? quid jucundius? imo quid magis necessarium? Nonne suffragante *Cicerone* (*in Orat. pro Archiâ Poëtâ*) *Rhetoricæ elocutionis & artis dicendi fons & origo est?* Sanè qui aliter sentit, ex eorum se esse numero profitetur, qui nihil rectum putant, nisi quod moribus ipsorum conveniat; Imprimis, quod hæc ars non habeat osores nisi ignorantes. Quotusquisq; Poëseos jucunditate delectatur, utilitatem ejus non negabit, siquidem eandem non ignorabit. Jucunditatem verò afferent omnibus, ut spero, artis hujus studiosis, isti in carminibus lusus, quos cum amant, utilitate non minus perfundentur, quam jucunditate. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur; dum etiam summi Oratores & summi viri, sic se exercebant & delectabant, immo delectabant, & exercebant, affirmante *Pontano* (*in Annot. ad Progymn. 99. l. 1. p. m.* 190.) Hinc in ipso Progymnasmate Poëseos utilitatem perpendens, in hoc erumpit votum calidissimum: *Vellem hâc tempestate in scholis vigerent certamina poëtica, ut adolescentes se mutuo, non tantum numero versuum, (nam id parvi duco brevi tempore sexentos versus evomere, & tamen id in usu penè est solùm) sed acumine, lepore, elegantia, artificio superare conteuderent.*

tenderent. Quod etiam postulare videtur *Horatius* (*de Arte Poët. v. 292.*) inquiens:

Carmen prehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coèrcuit, atq;
Perfectum decies non castigavit ad unguem

Itaq; huncin finem unicun, non vanam gloriolam captandi causa, lusus hos publicare volui, scilicet ut juventuti scholasticæ Poesin excolendi & exercendi ansa præbeatur, & incitamentum quoddam. Ut verò in ipso statim limine Vestrum, Amplissimi Viri, Patrocinium quæram, solennis me illa ac laudata admonuit consuetudo. Venit enim mihi in mentem illud *Aristidis Adrianæi* monitum, quod *Orat. 8.* ἱερῶν legitur: *Τὰς μὲν νεὼς τοῖς θεοῖς καθιερῶν, τὰς δ' ἀνδρας τὰς ἐλλογίμους τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν*, i. e. *Templa quidem Diis convenit consecrare, viros vero eximios librorum dedicatione honorare.* Et illud *Plinii:* (l. 6. Epist. 23.) *Nulli tam clarum statim ingenium est, ut emergere possit, nisi ei materia, occasio, fautor etiam commendatorq; obtigerit.* Æquissimum igitur judicavi, Vobis, Vestriq; honoris perpetuæ memoriæ, quicquid est inscribere ac dedicare, ut mei etiam absentis tanquam præsentis rationem aliquando habeatis. Admittite quæso hoc ipsum, tanquam oppignoratæ men-

mentis indicem, vultu non tetrico, sed fronte serenâ, atq; me, si tantam affectionem devotissimè merebor, inter virtutum Vestrarum cultores admiratoresq benevolè numerate,

Wismariæ
ANNO MDC LXXXII.
X. Kal. Maji

Qui sum

VEST: OMN:
ex debito
totus

Christianus Stegmann/
SS. Th. studiosus.

Ex OWENO

Ad Lectorem.

Ne placeant stultis, quorum sunt omnia plena,
Carmina non multis nostra placere volo.
Sat mihi sunt pauci lectores; est satis unus:
Si me nemo legat, sat mihi nullus erit.

Ad Lectorem candidum.

Optima quæ bona sunt; mediocria, quæ mala, dices
Carmina judicio, lector amice, tuo.

Ad Lectorem nigrum.

Pessima quæ mala sunt: mala, quæ mediocria, dices
Carmina censurâ, lector inique, tuâ.

Ad Librum.

Vade liber, vadas cos dentis acuta maligni,
Inte quod laudet, nil habet invidia.
Innumero dicenda tibi sub judice causa est;
Arbitrium de Te non duo tresve dabunt.
Forsan & illectus temerè damnabitur Autor;
Rarior & lector quam reprehensor erit.

IN NOMINE JESU!

§ I.

TECHNOPÆGNIUM est artificiosus in re metricâ lusus. Micræl. Lexic. Philosoph. §. 2. Placuit hunc librum donare titulo Græco, quia unâ voce Latinâ commodius exprimi non potest, est autem compositum ex duobus vocabulis, quorum alterum est τέχνη ars. alterum τὸ παίγνιον lusus.

§ 3. Iste lusus respicit vel accidentia Grammatica & Rhetorica; vel affectionem Logicam: vel figuram Mathematicam concernit. Unde spectantur in versibus: *Paræmium, Cephalonomaticum, Anagrammaticum etc.* dequibus jam ordine nobis agendum erit; ita quidem ut præceptis brevibus brevia & pauca adjiciamus exempla. Sit igitur

CAP. I.

§ 1. PAROEMIUM est cum multæ dictiones continuæ ab eadem literâ incipiunt.

§ 2. Nonnulli Rhetorum Paronomasiæ Paræmium subjiciunt; verum cum nulla sit invocibus agnominatio, Paronamasiæ non potest annumerari, sed potius ad accidentia Grammatica pertinebit. Diet: Rhet: l. 1. c. 23.

§ 3.

§ 3. Attendendum autem ne Paroemia cum Paroemio confundatur, sed ut planè discrepant, sic maximè discernenda sunt. Paroemia enim est proverbium, seu dictum celebratum in populo. Paroemium verò consistit in crebra ejusdem literæ repetitione, uti definitum est.

§ 4. Alias dicitur *Tautogrammum*; estq; *purum* vel *mixtum*. *Purum* est cum dictiones totius metri vel poematis incipiunt ab unâ literâ, uti est pugna porcorum Publii Porcii. *Mixtum* est cum cujusvis versus dictiones incipiunt ab eadem literâ.

§ 5. Quidam carmini ejusmodi nomen fingunt, ab eâ litera sæpius vel continuo in isto repetita. Sic versum in quo litera T iteratur vocant Tautacismum in quo C. repetitur Cappacismũ vid Johan. Heidfeld: Sphing. p. m. 1041. E. g.

A.

Aspicit Almipotens animas angoribus actas;
Ærumnas arcens afferet auxilium

B

Barbara bacchatur bellis Bellona rebellans:
Bombardæq; boant, ballistæ, buccina, bombi.

C

Cor credens, castum, constans, candore coruscum
Cœlestis Christi chara corona capit.

Huc

Huc pertinent versus, Carolo Calvo, Imperatori dedicati, qui sic incipiunt:

Carmina clarisonæ calvis Cantate Camœnæ

D

Dilige doctores docilis discendaq; disce:
Defuge desidiam, dilige dona Dei.

E

Errantes effrænatos expectat Erinnys;
Errorem evitans effugit ex Erebo

F

Fluxa, fugax, fragilis frontis formosa figura,
Fervescente febri florida forma fugit.

G

Gens Germanorum gladium generosa gerebat;
Gloria Gallorum jam geminata gerit.

H

Hastis horrendis, haud heros, horidus hostis,
Herodes Heben (heu! heu!) transfixit Hebræam.

I

Improbitate ignes infernos improbus intrat,
Illicq; in curas incidit innumeras.

L.

Leges laudantur linguis: lasciva libido
Pro lubitu ludit, lege ligata licet.

M.

Mundifica miserum miserator maxime mundi;
Sic misero in mundo mundificatus ero.

N.

Nobile notescit nomen, quoq; nocte nitescit.
Nutans nutritur nobilitate novâ.

O.

Omnipotens oculis orantes aspicit omnes;
Omnes quêis opus est omnipotentis ope.

P.

Perfer, pulchra piis pariet patientia palmam.
Perdura, pulchrum pro pietate pati.

Q.

Quæ, qualis, quas sat, quæ, quanta querela, quietos?
Quid queritur quisquis, quosq; querela quatit?

R.

Res, Reges, regnum, rectâ ratione reguntur;
Rectius at Regum Rex ratione regit:

S.

Serva, sanctifica, sana, Sanctissime, servum.
Sic sanus salvus sanctificatus ero.

Vel:

Spes servare solet sublatâ sorte secundâ:
Spe solâ solor. Spes superesse sinit.

§.

T.

Torquemur, trahimur, toleramus tetra? tacemus.
Tanta tamen tandem tollet tortura triumphum.

U.

Vive vigil valeas venturam ut vivere vitam.
Vita vapor veluti vana vel umbra volat.

§ 6. Laudatus Heidfeldius d. l. *Jotacismum* vocat, cui quacunq; ratione, litera J. præter modum inseritur. *Metacismum*, cumverborum conjunctio, assiduitate literæ M colliditur. *Lambdacismum*, ubi L crebro occursat. *Polysigma*, ubi S. crebrius quocunq; modo ingeminatur; & sic literæ vocum initiales non semper attenduntur. Exempla ponit sequentia:

I.

Junio Juno Jovis jure irascitur
Filia sub tilià nebat subtilia fila:

M.

Mammam ipsam amo, tanquam meam animam.

L.

Sol & Luna lucent luce albâ, lacteâ.

S.

Sosia in solario soleas sarciebat suas.

CAP. II.

§ 1. CEPHALONOMATICUM est in quo sum-

mæ seu capitales literæ in carmine nomen aliquod includunt. Alias dicitur Acrostichis Poëtica, seu Carmen Acrostichon vide Fab. Lexic. sub voce Acrostichis

§ 2. Varie autem componi potest, vel ita ut singulorum versuum literæ capitales collectæ unam vocem, vel nomen aliquod, aut etiam, sententiam quandam exhibeant. Sic elogium Servatoris nostri Sybilla inclusit in Acrosticho, cujus literæ initiales hanc reddunt sententiam: Jesus Christus Servator Filius Dei crucifixus. Ita quoq; Plautus suarum Comædiarum argumentum composuit, ut literæ capitales constituant vocem AULULARIA.

Aulam repertam auri plenam domi Euclio
Vi summâ servat, miseris affectus modis,
Lyconides istius vitiat filiam.
Vult hanc Magadorus indotatam ducere,
Lubensq; ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Aurum formidat Euclio, abstrudit foris:
Req; omni inspectâ compressoris servulus
Id surpit: Illic Euclio rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, & filio.

Ejusmodi etiam est illud continens Nomen B. Lutheri.

Mentitus Christi Vicarius ille Romanus
Ausu præcipiti miscebat fasq; nefasq.

Ritus

Ritus sancibat tantum ratione probatos,
Torquens arbitrio divini oracula verbi.
Insuper insidias struxit Tetzelius audax,
Nugator, vitiis indulta piacula vendens.
Undiq; fœdatum tenebris & sorde Papatûs
Sanctum relligionis opus, [redacted] doctrina salutis.
Lapsa sed est virtus Papæ veniente Luthero.
Vi verbi, non vi ferri, sed inermibus armis
Turpiter (heu!) cecidit. Fraus & fallacia Papæ
Hæretici manifesta manet. Virtus [redacted] Lutheri
Eripuit miseros atris ê faucibus orci,
Restituens nobis sinceram relligionem,
Vera Dei cunctis indulgens gratia culpis
Servet, sanctificet, salvet nos atq; gubernet.

§. 3. Aliquando Cephalonyma sunt insingulis dictionibus, ut in sequenti, si literas initiales singularum vocum colliges, emergit SANCTUS THOMAS.

Scripturæ Ad Normam Cum Tãta Volumina Scribam
Theiologos Omnes Metior Atq; Sophos.

§. 4. Possunt etiam loco literarum integræ dictiones in versuum initiis poni, ut in illo:

CHRISTUS VICTIMA PRO JUSTIS OFFERTUR.

CHRISTUS homo atq; Deus pro nobis (mens pia credè)
VICTIMA fit, nobis gaudia dia parit.
PRO INJUSTIS justus, pro crimine criminis expers
OFFERTUR Patri, victima vincit jó hæc.

§ 5.

§. 5. Porro Acroſtichum cernitur in ſingulis dictionibus deorſum lectis, & ſic concurrat cum eo Tautogrammon neceſſe eſt, cujusmodi eſt illud:

Donat Dona Deus, Ditat Dominus Dominorum.
Erramus ſine Eo Eſt Ex Erroribus Error
Vanaq; Vah Vincunt Virtutem, Visq; Virorem
Sternit Si Superam Spernamus Spem atq; Salutem.

§ 6. Tandem etiam Acroſtichis apparet in principio, medio & fine verſuum, uti ex illo conſtat, nomen JESUS repræſentante:

JESUS noſtra quies; Ju Jeſu maxima mundI
Eſt ſpes atq; ſalus. En cunctis percupit eſſE
Solamen miſeris, Salvator & eſſe benignuS
Utq; cupit ſic eſt: Ut clementi quoq; vultU
Spectat aberrantes Sic aſſumit redeunteS

§ 7. Vel etiam ab initio & fine tantum adhibetur; Sic illud vocem MORS antrorſum & retrorſum exhibet:

MORS ſolet innumeris morbis abrumpere vitaM
Omnia mors roſtro devorat ipſa ſuO
Rex, Princeps, ſapiens, ſervus, ſtultus, miſer, ægeR
Sis quicunq; velis; pulvis & umbra ſumuS.

CAP. III

§ 1. ALPHABETA poëtica ſunt verſus qui juxtaordinem literarum contexuntur: Unde vocantur verſus Alphabetici. § 2.

§ 2. Adhibetur iſte ordo vel in Odis, quarum, ſtrophæ per literas initiales repræſentant Alphabetum. Ex hoc genere duo leguntur hymni in Poëtis Eccleſiaſticis Georgii Fabricii: quorum alter p. 567. eſt Sedulii Presbyteri, *A Solis ortus cardine* etc. Alter Venantii Fortunati, p. 721. *Agnoſcat omne ſeculum Antiſtitem Leontium* etc. Vid. Fab. Lex. ſub Voce Acroſtichis.

§ 3. Vel in genere Heroico aut Elegiaco, ita ut quivis verſus in fronte ſingularem literam gerat, pro ut eam ordo alphabeticus ſuppeditat. Tale eſt Alphabetum votivum pro felici novi anni auſpicio, autore Illiſtriſſimo Heſſorum Principe Mauritio, quod ſic habet:

Annus abit transactus, adeſtq; recentior annus;
Bis ſit proſperior qui venit atq; abiens.
Chriſte, rogo primum votum largire petenti:
Da pacem nobis Optime Chriſte tuam.
E verbo ſincera tuo doctrina reſultans
Floreat in templis, floreat inq; ſcholis.
Gratia ſit populo Divina parata miſello;
Haſſia quos ritus jam tenet obtineat.
Juſtitia ad normam ſacrati codicis, aptæ &
Leges judicium conſtituantq; forum.
Martis opus, miles patrius ſint rite parati,
Nec quicquam timeant prælia ſi ſit opus.

Ordo

Ordo domum talis regat ut bene profit utrinq́,
Pauperibus quo det divitibusq́ suum.
Quæstus proveniant liciti, benedictus agellus.
Ruricolis largo fœnore reddat opes.
Sanus sit Princeps, Conjux, Soboles q́ beata.
Tuta sit à bello patria tota truci.
Votis annue Christe meis, sic aulica multum
Xeinia conducent prosperitate tuâ.
Τὶ θεῦ, fac sit concordia firma piorum,
Zona velut Regis cingit utrumq́ latus.

§ 4. Vel etiam iste literarum ordo ab initio singularum dictionum adhiberi potest. Quomodo bis reperitur, in carmine isto nuptiali:

Quæ Tibi perplaceat Virgo docet inclyta Sponsa;
Scilicet haud placuit dulcis Amice Tibi:
Aspera, Balba, Carens, Delirans, Ebria, Fallax,
Grandiloquens, Hiscens, Insidiosa, Latrans.
Muta, Nocens, Odiosa, Putris, Quadrata, Rebellans,
Sordida. Tetra, Vetus, non Tibi virgo placet.
Sed placuit Tibi Sponse, Alacris, Bona, Casta, Decora.
Eximia, & Facilis, Gratior ac Hilaris,
Integra, Lætificans, Mansueta, Nitens, Opulenta,
Pulchra, Quieta, Recens, Splendida, Tuta,
Vigil.
Cum quâ permultos vivas feliciter annos,
Ut libet atq́ licet, det Deus, oro, Tibi.

§. 5.

§ 5. Huc pertinent versus Pangrammati i. e. qui continent omnes Alphabeti literas; sic omnes literæ Hebraicæ continentur in uno versu apud Esaiam Cap. 5. v. 33. Græcæ literæ 1 Pet. 3. v. 19. 20. Latinæ vero comprehendintur in illo:

Vix Phlegeton Zephyri quæres modo flabra Mycello.

Item: *Gaza frequens Lybicos duxit Carthago triumphos.*

§ 6. Non autem hoc nuper est inventum & novum carminis genus, sed etiam in ipsis Scripturis â Spiritu Sancto jampridem usurpatum. Sicëim hac de re scribit eruditissimus ille Heidfeldius: vigesies semel Spiritus S. ordinem literarum Hebraicarum in suis operibus persequitur. Semel Psal. 25. Psal. 34. semel, sed obscure, psa. 37. psal. 111 et 112. Octies psal. 119. Semel psal. 145. et hæc in Davide. Salomon filius hoc studium mirifice aluit et coluit, e. g. prov. 31, matronæ virtutes omnibus literis Hebraicis exornat, ut etiam fœminæ sacras literas non ignorarent. Idem fecit Ieremias Prophetæ ruente linguâ, cum populus jam miscendus esset barbaris, & sextuplici Alphabeto miserias populi deflens ut olim meminisse juvaret, quantopere Sanctus Vates lacrymatus esset & lamentatus ob populi sui calamitatem. vid. ejus Sphinx p. 975 &. 976.

Cap.

CAP. IV.

§. 1 ANAGRAMMA seu Anagrammatismus est transpositio literarum in unâ vel pluribus dictionibus eliciens exinde novam sententiam. *Micræl. Lex. philos.*

§. 2 Laboriosum autem hunc magis, quam ingeniosum dici posse partum, prodit Kwiatkiewicz in Suada Civili p. 133. Et fere ita est, non enim tantum ex nomine alicujus transponendo literas, elici possunt laudes, sed etiam vituperia.

§ 3. Non tamen Anagrammata suâ prorsus carent utilitate & jucunditate, sed non raro in his etiam verum est, vulgo quod dici solet:

Conveniunt rebus nomina sæpè suis.

§. 4. Modo hoc cavendum est, ne literæ aut mutentur, aut addantur aut omittantur, Ut enim singulare ornamentum & artificium est, si Anagramma purum & integrum distícho aliquo aut Hemistichio exprimi potest; Sic contra vitium est, si mutilate omissis veladditis quibusdam literis profertur. Interim tamen licet duplicem in simplices resolvi. Potest etiam cognata in cognatam immutari, sed non temere.

§. 5. Observandum quoq; Anagrammatismum non esse opus Poëticum, sed ipsius duntaxat

taxat evolutionem, quæ plerumq; uno vel pluribus distichis continetur. e. g.

ALSTEDIUS

Per Anagramma

SEDULITAS. Evolutio hæc est:

Alstedium vis dicere, rem cum nomine spectans
Ipsa est ALSTEDIUS, dicito, SEDULITAS.
Attica Apis sed sedula Apis legit optima florum,
Ex hortis Sophiæ mellificatq; benè.
Omnino assiduus, (quod & ejus scripta loquuntur)
Quà positus doctà est in statione manet.
Omnibus ergo locis doctus quibus ordo probatur,
Eximium celebrat candida fama virum.

Alstedius ipse hocidem

Anagramma ita evolvit:

Ut possis, mea mens, doctisq; deoq; placere,
Sit pia sedulitas, sedula sit pietas.

Owenus suis Epigrammatibus lepidissimis hinc inde Anagrammata insperſit, exquibus huc non nulla referamus. l. 2. Ad Henricum Principem Cambriæ. n. 4. legimus hoc:

GALENUS

ANGELUS. Explicat ita:

Angelus es: bonus anne malus, Galene? salutis
Humanæ custos? Angelus ergo bonus.

Et Paulo post. n. 53. De Uxore.

Insaturabile par sunt orcus & uxor: *ait Rex*
(*Prov. 30. v. 15.*)
Unius experiens alterius q; sciens.
Quisquis in uxorem *cecidit, descendit in* orcum:
Rite inversa sonat Ucsor & Orcus *idem.*

Responsio Uxoris:

Nun cupor Ucsor *ego non sim quasi conjugis* orcus;
Sed quia per totam sedula curso *domum*
In muliere vir est, ut in orco *Belzebub: ergo*
Infernus si sit fœmina vir Satan est.

Item I. 3. 1. 14. OPTO, POTO

Opto *tibi multam, nullam, tibi* poto *salutem;*
Est potior potâ sicca salute salus

Et n. 31. BREVIS, VERBIS, UBI RES,

Perspicua brevitate nihil magis afficit aures,
In verbis, ubi res *postulat esto* brevis

Alibi: GERERE, REGERE

Vox eadem gerere & regere *est: omeng; notandum,*
Ut regat *uxorem vir,* gerat *illa virum.*

Sic etiam: Diabolus, Bia, Dolus
Vis, Fraus.

Circuit & quærens quem devoret, ut leo, Dæmon:
Errantes animas vi *quasi ventus agit.*

In-

Instruit occultas Satan, ut vulpecula fraudes;
Quos vi non potuit perdere, fraude ferit.

Pulcherrimum Anagramma est illud Epigrammate comprehensum, ex tota Antiphonâ Ecclesiasticâ, Alma Redemtoris etc. est autem tale:

Ne metuas quamvis cursu pernice procellæ
Nutat, & irrugit spumosa navis in unda,
Teq; tuamq; ratem placato sidere ducam:
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit:
Errores pelagi retegam, miserabor egeni.
Euge meos portus intra, sum ripa salutis.

Nec illa sunt postrema: ex nomine *Leonhardus Hutterus* fit Redonatus Lutherus. Ex nomine *Lucianus*, Calvinianus Ex nomine *Maria Magdalena*, Grandia mala mea. Ex *Ursula*, Laurus. Ex *Paulus Apostolus*, Tu populos salvas. Ex *Albertus*, Ter albus. Ex *Bartholomeus*. Ah Sol Beatorum. Ex *Fridericus*, Fide curris. Ex voce *Eucharistia* fit Anagramma Cithara Jesu. *Marchia*. Hic arma.

Non omitto Anagrammata illa nobilissima Nobilissimi atq; Doctissimi Viri Domini Christiani Biccii, Gymnasii, quod Stetini florebat Sub Rectoris & Profess. Dignissimi, & Præceptoris mei de me optime meriti,

quæ

quæ ille in Actibus nonnullis Oratoriis enodavit. Sunt autem sequentia:

(1.) *Carolus Undecimus Rex Swediæ.*

Anagr.

Laus! Evax! Vir es secundum cor DEI.

(2.) *Carolus Undecimus, Rex Swediæ & Gotiæ*

Anagr.

Evax! Ego certe dulcis ROSA Dei sum. Tun? Eja!

(3.) *Carolus Rex Swediæ. Anagra.* Salve Rex ad Cor JESU! (4.) *Carolus Undecimus Rex Swediæ & Gothiæ etc.* Huc! voce mox Dei gratia te servet in secula. (5.) *Carolus Undecimus Rex Sweciæ & Gothiæ.* Vah! ecce Tute religionis murus es. Addo Evax! (6.) *Carolus Undecimus Rex Swedorum, Gothorum & Vandalorum. etc. etc. etc.* Ecce Tu! Orthodoxus clues naturâ multum sincero erga Deum tuum corde. (7.) *Carolus Undecimus Rex Swediæ & Gothiæ etc.* O ho! Ecce decus mundi clues ex ratâ gratiâ JESU. (8.) *Carolus Undecimus Rex Sweciæ & Gothiæ.* Eho. nam ex gratiâ vere dictus es oculus Dei. (9.) *Carolus Undecimus Rex Sweciæ & Gothiæ.* JESUS Te uniee amat ex corde. Huic ergo laus! (10.) *Carolus Rex Sweciæ.* Ecce! arx, Rosula Jesu. (11.) *Carolus Undecimus, Rex Swediæ, Gothiæ, & Vandaliæ*

dalia. etc. Age; Macte laude! Jcon Dei creatus es: Evax! Laus Deo Triuni (12.) *Carolus Undecimus Rex Sveciæ Gothiæ & Vandaliæ.* Ecce ego rosula Dei nex Cantharorum! Eja laus tua Jesu. (13.) *Carolus Undecimus Rex Svecorum, Gothorum & Vandalorum, etc. etc.* Ecce ego velut rosa dulcis ductor, sum nex Cantharorum meorum. (14.) *Carolus Undecimus, Rex Svediæ & Gotiæ.* Rex ungor Jesu

Ecce Deo, cui laus edecumata fiet!

(15.) *Carolus Undecimus Rex Svecorum.* Ecce vero! Arx, Murus, Domus cluis. (16.) *Carolus Undecimus Rex Swecorum Gothorum & Vandalorum etc. etc.* Ecce terna regna curat orthodoxus! corculum Tuum Museolum Jesu. (17.) *Carolus Undecimus Rex Swecorum.* Vive Musarum Dux, Sol, cornu, cresce! (18. *Carolus Rex Swediæ & Gothiæ.* Victoria heu! læsa ex Deo surget. (19.) *Carolus Undecimus Rex Swediæ & Gothiæ.* Heu! ac evax! victoriâ otium reddes elugens. (20.) *Carolus* (c. elim) Rosula. Gallica & Germanica Ejus Anagrammata, quia huc non spectant, omittam, quæ tamen recitatis nec pauciora nec minora sunt.

§ 6. Ad Anagrammata refertur porrò Metathesis poëtica, seu Metagrammatismus, cum

in una voce fit transpositio literarum, non semel, ut in Anagrammatis, sed aliquoties. e. g.

Roma fit dictio Metathetica hoc modo:

Roma, mora, Maro. ramo, amor, oram, Armo.
Roma vocor, *tanto me Romulus auxit honore,*
Nomimine magnifico gaudeo sæpe meo:
Litera quæq; licet fuerit transposita subindè
Certa tamen remanent significata mihi.
Conveniunt septem voces, quas procreo Roma,
Ceu septem colles diligo sede meâ.
Ad me qui veniunt tractare negotia summa,
His loquor, ex pecta, sit quoq; parva Mora.
Et Maro *percelebrem Romanam rediit* Oram,
Post oram Trojæ sæpius Arma *canens.*
Flumina fluxerunt terra hac imitantia Mora,
Ob varias sedes martyriumq; sacrum.
Inq; uno Ramo *virtus vitiumq; viresit:*
Est in me fluxus deinde beatus Amor.

EXPLICATIO.

Roma *est principium, sonat ultima dictio* Romæ;
Si vertatur Amor, *Roma triumphat amans.*
In reliquis lateo, me collige; Roma nitebit,
Armo, Oram, Ramo, Mora, Maro, Mora, Amor
Res mirà est dictu, statuit vox unica Roma
Pentametrum versum: lector amice vale.

Iu-

Insequenti exemplo sunt duæ voces significativæ, *Mare Eram*; quæ transpositæ variam pariunt significationem, hoc modo:

Est Mare, *quod navis penetravit cursibus amplis,*
Erma *nisi jussit non bene tuta volat.*
Orta Maris spuma Venus Aphrodita putatur,
Fœmina Mera *ideo sacra parabat ei,*
Quando pudicitiam spernens Emar *undiq; dixit;*
Æternæ noctis quis negat esse Ream?
Haud Amer *ipse mari, tu dicis rustice, at* Arme
Arridens fructus Rame *tuosne tegâm?*
Si modo semper Arem *terram,* Mera *vina dabuntur.*
Non quod Eram, *videam si* Mare *semper, ero,*
Ergo petat quicunq; cupit maris horrida regna;
Sub ramo potius tale ego carmen amo.
Rame, arem, eram, ream, amer, mera, mera, mare, erma, emar, arme.
Quid sibi versiculus signet habere cupis?
Quæ præcesserunt, ex hoc desumta fuerunt,
Unica vox peperit bis Mare *quinq; sonos.*

Ejusmodi etiam est hoc, quod OWenus de voce CERTA composuit, & sonat ita:

RECTA Fides CERTA est ARCET mala schismata, non est
Sicut CRETA, fides fictilis: arte CARET.

Et tantum de Anagrammatismis. Plura qui hujus pægnii exempla desiderat, videre potest apud Majolum in diebus canicularibus, & Goclenium in Lexico Græco. Extat etiam in Chronico Pomeraniæ D. Micrælii POMERANIA centies & quod excedit per Anag. transpositam nomen MICRÆLIUS quinquagies.

CAP. V.

§ 1. REPREHENSIO Philologica est, quando barbariem alicujus facete notamus alludentes ad barbarismum; Ut,

Qui Reminisco putat se dicere posse Latinè,
Hic ubi CO scriptum est faceret COR si cor haberet.

Facetum est illud Ovveni. Ep 43. l. 1.

Plurima apud veteres fidium *fit*, *nulla* fiderum
Mentio, priscorum nam fuit una fides

§ 2. Pertinent huc Versus jocosi, qui ad jocum captandum adhibentur; Tales enim versus sunt nihil aliud quam ejusmodi sermões qui tractant sales & jocoseria, & sunt magna pars Philosophiæ Socraticæ. Talia joca qui spargunt, solent dura molliter efferre Micræl. Lex. Phil. Tit. Joci. § 3.

§3. Et in hoc pægnio Mirus fuit Artifex OWenus noſter: nullam enim paginam imo vix ullum Epigramma hoc ſale non aſperſum legimus. Ideoq; recte de eo ſcripſit Joann BoWman Theol:

Quicquid habent Veneres Venerum Charitesq; leporum;
Quicquid Muſa joci, quicquid Apolo ſalis;
Quodcunq; eſt Sophiæ, quodcunq; eſt artis ubiq;,
Ingenii aut Genii quicquid ubiq; viget;
Omne id, Oëne, tuis reor inſediſſe libellis,
Hæc quando nobis lemmata dia dabas.

Nos ex multis pauca delibabimus exempli gratia:

Jocus in Medicos.

Accipit oblatum Medicus, dare non ſolet aurum;
Pharmaca dat Medicus non ſolet accipere.

Vel: *Qui modo veniſti noſtram mẽdicus in urbem,*
Paulum mutato nomine fis Medicus.

Jocus in Juris conſultos.

Juris prudentes prudentes jure vocantur:
Tam benè cum ſtudeant prodideantq; ſibi.

Jocus in Utrosq;.

Ulceribus Galene, vales tantummodo noſtris;
Stultitiâ noſtra, Juſtiniane, ſapis.

Jocus in Hiſtoricos.

Num quid in octavo mendacia plurima vulgus
Edat, an in quarto, quæris, an in folio.
In Decimo Sexto mentitos plurima (ſeclo)
Suſpicor Hiſtoricos quolibet in folio.

Jocus in Avaros.

Naturam parvo contentam vulgus ineptè
Laudat, & indignè damnat avaritiam.
Solus enim parcus minimo ſatiatur avarus:
Nam natura parum ſat putat ille nihil.

In Poëtas.

Illi (Prophetæ) de rebus prædicere vera futuris,
Hi (Poëtæ) de præteritis dicere falſa ſolent.

In Æneam.

DI-Do-Dum Æneas aberrat, caruiſſe Gerundis
Dicitur; & nullum noſſe Supina virum.

In Apollinem & Muſas.

Muſæ ſunt generis muliebris: Apollo virilis.
Unus enim Muſis præſtat Apollo novem.

In

In Conjugium.

Efficiunt hominem vir & uxor amabilis unum:
Sic homo fit quadrupes, qui fuit ante bipes.

Plura possunt legi in ipsis OWeni Epigrammatibus. Totum enim librum fere describerem, si omnia huc regere recuperem.

§ 4. Jocum etiam reddunt illi versus qui vulgo vocantur Cruces Grammaticorum: ut,

Mala mali malo mala contulit omnia mundo.

Item:

De cane de cano cane decane cane.

Vel:

De cane cane cane, ac far mole molle mola.

Sic:

Sunt oculos clari qui cernis sidera tanquam:
Dico Grammaticum versum qui construit istum.
C. O. Q. S. C. T. S.

Ut &:

Furfur edit, pannum panem quoq; lustineamus.

Ultima dictio resolvatur in tres; sus edit furfur, tinea panuum, mus panem.

CAP. VI.

§ 1. ANASTROPHE seu Reciprocatio doctis est quâ versus dicuntur reciproci, seu recur-

recurrentes. Qui Alio nomine dicuntur Retrogradi qvuia antrorsum & retrorsum legi possunt. Metaphoricè vocantur Cancrini. Melanch. Hypomn.

§. 2. Anastrophe autem ista fit, vel sub eodem sensu, vel sub contrario.

Sub eodem: ut

Magnificato mihi Messiam magnipotentem.

Vel illud Sidonii:

Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumtum jam cito deficiet.

Aut hoc de Amphione:

Petras una trahit vox metris imperiosa.

Sub contrario: ut.

Scis benè Grammaticos canones nec carmina nescis
Scribere, scis Logicen, haud rudis historicæ.

Aut hoc Franc. Philet. in Pium II. Pontif.

Laus tua, non tua fraus: virtus non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

Ita & illud:

Patrum dicta probo nec sacris belligerabo.

Sequens quoq; à poëta quodam, ad Papam missum

ſum, ſpeciem habet laudis & honoris; ſi verò retrorſum legendo ex quolibet pentametro fiat hexmeter, & contra, Papæ artificioſè impoſitum eſſe, imo ipſiſſimam veritatem occultè prolatam manifeſto apparebit.

Pauperibus tua das gratis, nec munera curas,
Curia Papalis, quod modo percipimus.
Conditio tua ſit ſtabilis, nec vivere parvo
Tempore te faciat hic Deus omnipotens.
Conſilium cito tam ſancto non pectore falſo
Poſcere te faciat ſpes bona Chriſtiades.
Mens pia non male mens toties nos cognita juſſit
Credere, rem certam non fore ludibrium.
Omnipotens Deus haud Satanas hæc provehit acta,
Conſtituit ſynodus quæ ſacra conſtituet.
Relligio duce te creſcat, nec turbida fiat,
Credere vis Chriſto non tibi judicium.
Efficies ſimul hoc pacem non prælia pacto
Tempore ſi celebres tam pia concilia.
Principibus benè vis noſtris non retia tendis
Callida, donarunt te quia divitiis.
Es bonus haud malus es pacem non prælia quæris
Grandia, nec luctum, nec mala Teutonia.

Huic reſpondet:

Sunt ſacra, non mala ſunt doctoris dogmata noſtri,
Dilige ne ſpernas, eſt bonus, haud malus eſt.

Conju-

Tale est etiam Epithalamium illud

Conjugium tibi sit blandum, nec fœdera jungas
Irrita: sis felix, nec citò dispereas.

§ 3. Sive fit cum integræ voces repræsentantur & non tam sensus quam pedes restituuntur & hi versus alias â Sotade dicuntur Sotatadei e, g.

Fata sibi Judas fabricans est proditor audax.

Item:

Musa mihi causas memora, quo numine læso.

§. 4. Vel ita fit, ut retro dum legitur, easdem literas, dictiones pedes & sensum referant. Dicuntur alias Versus Diabolici. e, g.

Signa te signa temere me tangis & angis:
Roma tibi subito motibus ibit amor.

Ejsmodi etiam est hoc:

Si benè te trades, sedes sed (&) arte tenebis
Et si se retro feret, utere, fortè resiste.

Et illud:

Si benè te tua laus taxat, sua laute tenebis

Item:

En giro tortè sol cyclos, & rotror igne.

Nec ignotum est hoc notissimum:

Mulos Anna tenet non tenet Anna solum.

Quemadmodum & illud:

Otto tenet mappam madidam mappam
tenet Otto.

§. 5.

§. 5. Tandem etiam in metro ænigmatico reciprocatio literaria adhiberi potest in unicâ tantum dictione: ut,

Mitto tibi Metulas *sinon vis credere veritas.*
cancros imitare legendo.

Sic:

Mutnegra *cum* Murva *faciunt rectissima cur va.*

CAP. VII.

§ 1. PROTEUS poëticus est metrum variè vertibile. Dicitur ita â Proteo, Deo marino fatidico, qui se subindè in varias figuras, miraculose converteret. vid. Virgil. I. IV Georg. V. 382. Unde proverbium: *Proteo mutabilior* vid. Lexic. Fabri.

§ 2. Sic quidam Jesuita Divæ Matri Virgini talem Proteum concinnavit & concinuit, quem vocat unius libri versum, & unius versus librum, qui tot ora gerit, quot coelum sidera, & verti potest millies bis & vicies, salvo sensu & Heroici Carminis lege. & sonat ita:
Tot Tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cœlo.

§. 3 Idem alium Proteum conpilavit de Christo mundi Servatore priore multo admirabiliorem, qui verti potest 3628800. scil. Vigesies

gesies sexies centies millies, vicies octies millies & octingenties:

Rex, Dux, Sol, Lux, Fons, Spes, Pax, Mons, & Petra Christus. vid. Bauhud. lib. Epigram. & Heidfeld. p. 1087.

§. 4. Variè etiam verti potest ille versus de Proteo Deo Mario ipso compositus:

Perfide speraſti te divos fallere Proteu.
Proteu speraſti te perfide fallere divos.
Divos speraiſti te fallere, perfide Proteu.
Perfide speraſti te Proteu fallere divos
Fallere te divos speraſti perfide Proteu.
Speraſti Proteu te perfide fallere divos etc.

§. 5. Huic Proteo Poëtico respondet *Metamorphosis* seu *Metapoiosis* Poëtica, quæ est metri in alias formas mutatio, ita ut aliquid addatur vel abjiciatur. Inde metra vocantur *Metaplaſta* e. g.

E Sapphico: *Otium Reges prius et beatas*
Perdidit urbes.

Fit Phalæcium: *Et Reges prius otium & beatas*
Urbes perdidit

Ex Jambico: *Bonis superba Roma frangitur suis.*

Fit Pentam: *Frãgitur ipsa suis Roma superba bonis:*

Ex Jambico trimetro: *Beata gens quam diligit*
Deus Pater
Faci-

Facile fit dimetrum: Beata gens quam diligit Deus Pater

Ex Aſclepiadeo: *Mæcenas atavis edite regibus.*

Fit Pentameter: *Mæcenas atavis edite principibus.*

Plures Metamorphoſeos poëticæ ſpecies vide paſſim apud rei metricæ ſcriptores.

CAP. VIII.

§. 1. PARODICUM carmen eſt quod fit ad imitationem alterius. *Vel, ut Micrælius in Lex. Philoſ.* definit: Parodia eſt canticum ad alterius imitationem.

§. 2. Eſt autem Parodia multiplex. Alia vocatur Reſcriptio, qua cotrarium ſenſum ex primimus. ut,

Deſine de quoquam quicquam benè velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare pium.

Hoc diſtichon ſic imitaberis:

Deſine de quoquam quicquam malè velle mereri.
Atq; malos fieri poſſe putare pios.

Vel ita:

Incipe de quovis, moneo, benè velle mereri,
Ac aliquem fieri poſſe putare pium.

§. 3. Alia eſt ſimplex: quâ directè metrum aut poema alicujus probati authoris eodem carminis genere exprimitur: ut, Virgilii Sententiam l. 1. Æn.

per

Per varios casus per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.

Stigelius ita imitatur:

Per varios casus per tot discrimina rerum
Tendimus ad superos; sedes ubi Jova quietis
Dat nobis: illic fas regna resurgere Christi.

OWenus in Apendice ita:

Per varios haustus & per tot pocula Bacchi
Tendimus in in lotium

Virgil. l. 2. Æn.

Una salus victis nullam sperare salutem:

Taubmannus:

Una salus homini, Domini sperare salutem.

Alius:

Una salus sanis nullam potare salutem.

Tale etiam est illud Henrici Stephani, fa
ctum ad imitationem illius Virgiliani. l. 1. Æn

Durate & vosmet rebus servate secundis:
Durate & vosmet vino servate secundo.

Sic Virgil. l. 6. Æn.

Discite justitiam moniti, & non temnere divos:
Discite justitiam colere & non temnere reges.

Item cum Virgilius l. 1. Æn. inquit:

Tanta molis erat Romanam condere gentem

fir

Stigelius ita exprimit

Tantæ molis erat hominum reparare salutem.

Ennius dicit: Et ex eo Virgilius l. 6. Æn.

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Alius sic imitatur:

Unus homo nobis moriendo restituit rem.

Talis quoq est imitatio Eclogarum Virgilii: ut si in primâ Eclogâ facias loqui Angelum & hominem

Homo:

Angele tu Libani recubans sub tegmine cedrî
Cœlestem sacrâ versum meditaris avenâ.
Nos patriæ fines, & cœli linquimus arva.
Nos patriam fugimus, tu sanctâ sanctus in aulâ
Formosum resonare doces Haleluja viretum.

Agelus:

O mortalis homo nobis hæc gaudia fecit
Rex Regum, Deus ille meus, etc.

Huc pertinent Parodiæ Horationæ. M. Davidis Hoppii. Item: Horatius Christianus & profanus M. Thomæ Sagitarii. Profess. publ. Acad. Jenens.

Parodia Odæ. II. l. ē. Horat.

Multus in vita decor est jugali,

Abdita

Abditæ ſylvis inimice vitæ
Sponſe, ſi in caſto thalamo decora
Splendeat uxor.
Vivat extento monialis ævo
Gens, tori & vitæ ſocialis expers,
Illam agat tædas metuens pudicas
Fama perennis.
Latius vives ſocium expetendo
Ordinem, quam ſi Libyæ ad remotos
Tranſeas fines, & ibi cucullus
Veſtiat artus.
Creſcit indulgens ſibi dirus æſtus
Nec faces ceſſant, niſi vera morbi
Adſit iſtius medicina, lectus
Nempe jugalis.
redditum caſto thalamo, cucullo
Diſſidens ullum numero beato
Rum eximit nunquam ſociale fœdus;
Sed docet uti
Motibus; regnum imperiumq; totum
Deſerens illi placidamq; mentem
Quis quis uxorem in thalamo jugali
Spectat amatam.

§. 4. Alia deniq; eſt imitatio indirecta, qua metrum aut poema probati alicujus authoris exprimitur alio carminis genere. Hic exempli

exempli loco adjiciam Sententias non nullas ex Horatio â meis discipulis, paucis exceptis, in Genus Elegiacum transpositas: ut,

Horat. l. 1. O. 3.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Omnia gens hominum perfert & sustinet audax,
Perq; nefas vetitum labitur atq; ruit.

Ibidem.

Nil mortalibus arduum est.
Cœlum ipsum petimus stultitiâ: neq;
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Nobis nulla nimis mortalibus ardua res est:
Quin ipsum cœlum stultitia petimus:
Perq; nefas nostrum, per crimina nostra nefanda
Fulmina non patimur ponere sæva Deum.

O. 4. l. 1.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumq; turres.

Pallida mors æquo tangit pulsatq; tabernas
Pauperis, & Regis tecta superba pede.

Ibidem:

Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam

O homo quid curas veniens extendis in ævum?
Vita brevis longam ponere spem prohibet
O. 9. l. 1.

Quid sit futurum cras fuge quærere; &
Quem fors dierum cunq; dabit, lucro
Appone.

Qualis erit ventura dies fuge quærere: lucro
Adjice quod tempus fors tibi cunq; dabit.
O. 11. l. 1.

Spatio brevi
Spem longam reseces, dum loquimur, fugerit invida
Ætas.

Quam spatio spes longa brevi resecatur! inanis
Dum loquimur vitæ maxima pars abiit.
O. 13. l. 1.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divisus queremoniis
Suprema citius solvet amor die.

O quam felices! o ter, quater, beatos!
Quos irrupta tenet copula: quos, die
Supremâ citius longis, malis, querelis
Non unquam poterit solvere falsus amor.
O. 18. l. 1.

Fas atq; nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. *Fini*

Finibus exiguis discernunt fasq; nefasq;,
Quorum consilium cæca libido regit.

Ibidem:

Ebrietatem subsequitur cœcus amor sui:
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem:
Arcaniq; fides prodiga, perlucidior vitro.

Ebrietas merito mater fœcunda malorum
Dicitur, hæc etenim parturit omne malum.
Hancce sui comitatur amor turpisq; cupido,
Et Venus illecebris exitiosa suis:
Atq; caput vacuum nimio plus gloria tollens:
Arcaniq; fides prodiga consilii.

O. 24. l. 1.

Levius fit patientiâ
Quicquid corrigere est nefas.
Quod mutare nefas levius patientia reddit:
Disce igitur forti pectore ferre malum.

O. 25. l. 1.

Læta quod pubes ederâ virenti
Gaudeat pullâ magis atq; myrto;
Aridas frondes hyemis sodali
Dedicet Hebro.
Læta magis myrto gaudet vernante juventus:
Arenti gelidus fronde donetur Hebrus.
i. e. Cascus cascam ducat.

O. 27. l. 1.

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem verecundumq́; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Est Thracum graviter lætis contendere poclis:
Hanc moris diram tollite barbariem.
Lite vacet Bacchus rabiosaq́; protinus absint
Jurgia; sanguineus miles in arma ruat.

O. 28. l. 1.

Nihil ultra
Nervos atq; cutem morti concesserat atræ.

Cum morimur mortè nîl nos concedimus ultra
Nervos atq́; cutem: Spiritus astra petit.

Ibidem:

Omnes una manet nox
Et calcanda semel via lethi.

Nascentes morimur: nox omnibus imminet una:
Et semel est lethi deproperanda via.

Ibidem:

Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

Mista senum ac juvenum densantur funera: mortis
Non ullum fugiet vis truculenta caput.

O. 34.

O. 34. l. 1.

Valet ima summis
Mutare & insignem attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hîc posuisse gaudet.

Summa potest imis, ac infima vertere summis;
Insignesq; viros attenuare Deus
Obscuros promens; fortuna caduca rapacem
Sæpius hinc apicem sustulit hic posuit.

O. 35. l. 1.

Sæva necessitas
Clavos trabales & cuneos manu
Gestans ahenâ; nec severus
Uncus abest, liquidumq; plumbum.

Vis urgens manibus cuneos clavosq; trabales
Gestat: nec plumbum nec gravis uncus abest.

L. 2. O. 2.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, nisi temperato
Splendeat usu.

Non color argento, justo ni splendeat usu:
Nec juvat in terræ condita gaza sinu.

O. 2. l. 2.

Æquam memento rebus inarduis
Servare mentem: non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia.

Constantem semper mentem servare memento:
Rebus in adversis non secus atq; bonis.

Ibidem:

Omnes eodem cogimur; omnium
Versatur urna: serius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Nostræ sors vitæ dubiâ versatur in urnâ:
Nec ratio constans certaq; causa datur
Cur illi citius, cur serius hi moriantur?
Felix qui promtus cum venit hora necis.

O. 10. l. 2.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntq;
Fulmina montes.

Sæpius ut summi feriuntur fulmine montes:
Ut magnam pinum sæpe procella movet:
Ut graviore cadit lapsu celsissima turris;
Sic qui sublimi fronte superbit homo.

Ibi

Ibidem:

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem benè præparatum
Pectus.

Rebus in infestis bona sunt speranda; secunda
Cum fortuna nitet sunt metuenda mala.

Ibidem:

Rebus in adversis animosus atq;
Fortis appare sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Fortis in adversis esto; sapienter & idem
Contrahe si vento turgida vela nimis.

O. II. l. 2.

Fugit retro
Levis juventas, & decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemq; somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis. neq; uno luna rubens nitet
Vultu.

Ut non semper honos vernis est floribus idem:
Ut vultum variat pallida luna suum;
Sic perit omne decus: sic transit læta juventus:
Dat fronti rugas arida canities.

Ibi-

Ibidem:

Ne trepides in usum
Poscentis ævi pauca:
quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?

Quid trepidas ævi modicum poscentis in usum?
Quid dubiis torques consiliis animum?

O. 12. l. 2.

Dum flagrantia derorquet ad oscula
Cervicem, aut facili sævitia negat
Quæ poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupat.

Mollia vel niveum detorquet ad oscula collum
Virgo, vel illa negat sævitiâ facili:
Et poscente magis patitur vix eripiantur
Oscula, mox ardens ipsa cupit rapere.

O. 13. l. 2.

Quid quisq; vitet nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bospherum
Pœnus perhorrescit: neq; ultra
Cæca timet aliunde fata.
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi: Catenas Parthus & Italum

Robus:

Robur: sed improvisa lethi
Vis rapuit rapietq; gentes.
Non satis est homini cautum quid vitet in horas:
Quod metuat quovis tempore quisquis habet.
Martis amans incerta timet certamina Martis;
Cæca maris rabidi navita fata pavet;
Sed cunctos Libitina rapit rapuit, rapietq;
Nam contra mortem cautio nulla valet.

O. 14. l. 7.

Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet indomitæq; morti.
Anni labuntur, nec rugis atq; senectæ,
Nec morti pietas afferet ipsa moram.

Ibidem:

Unda scilicet omnibus,
Quicunq; terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive Reges
Sive inopes erimus coloni.
Vertitur interram terrâ nutritus & aurâ,
Sit Rex ille potens, sive colonus inops.

O. 16. l 2.

Otium non gemmis, neq; purpura ve
nale nec auro est:
Non

Non enim gazæ, neq; consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Non removent gazæ, non lictor Consulis arcet
Curas, quæ circum tecta superba volant.
Sed tranquilla quies animi pretiosior auro est,
Omnibus & gemmis anteferenda maris.

Ibidem.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum:
Nec leves somnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

Parvo contenti qui vivunt, sat bene vivunt,
In quorum mensa fercula pauca nitent.
Nec quos sollicitus timor aut furiosa cupido
Nummorum facili suscitat à requie.

Ibidem:

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoq; fugit?

Quid nos multa brevi fortes jaculabimur ævo?
Quis patriâ fugiens sese suosq; fugit?

Ibidem

Scandit æratas vitiosa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Scandit in æratas naves vitiosa cupido:
Nec turmas equitum cura relinquit edax;
Ocyor at levibus cervis, ac ocyor Euro
Insequitur mentes, occupat, atq; premit.

Ibidem:

Lætus in præsens animus, quod ultra est
Oderit curare, & amara læto
Temperat risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.

Lætior in præsens animus curare quod ultra est
Oderit, & dulci lenit amara joco.
Sunt bona mixta malis: hominum quoq; nullus ab omni,
Qui vivit, vivet, parte beatus erit.

O. 18. l. 2.

Truditur dies die,
Novæq; pergunt interire lunæ.

Menstrua non cessat sua lumina perdere luna;
Et pergunt trudi tempora temporibus.

Ibidem

Ibidem:

Æqua tellus
Pauperi recluditur
Regumq; pueris.

Imis & ſummis tellus recluditur æqua:
Regibus & gregibus pauperibusq; patet.
O. 1. l. 3.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

Rex gregibus juſtas propriis imponit habenas;
Aſt Regem Regum Rex regitipſe Deus.

Ibidem:

Æqua lege neceſſitas.
Sortitur inſignes & imos:
Omne capax movet urna nomen.

Æquâ mors imos & ſummos lege potitur,
Indocilis flecti nos rapit & rapiet.
O. 2. l. 3.

Dulce & decorum eſt pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur virum:
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoq; tergo.

Dulce eſt pro patria mortem oppetere, eſtq; decorum
Perſequitur profugum mors quoq; dira virum

Nec timido imbellis parcit tergo illa juventa:
Poplitibus nervos insidiosa secat.

Ovenus ad hanc sententiam ita alluudit:

Pro patria sit dulce mori licet atq; decorum;
Vivere pro patria dulcius esse puto.

Ibidem:

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:
Cœtusq; vulgares & udam
Spernit humum fugiente pennâ.

Affigiente solum penna fugit inclyta virtus,
Immeritisq; mori cœlica porta patet.

Ibidem:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Nunquam deseruit facinus vindicta nefandum,
Sæpius ut claudo venerit illa pede.
(Sera tamen tacitis illa venit pedibus.)

Ibidem:

Est & fideli tuta silentio
Merces.

Tuta manet linguæ merces arcana silenti;
Garrulus in mediis Tantalus aret aquis.

O. 3. l. 3.

Justum & tenacem propositi virum
Nil mente quatit solidâ.

Pro-

Propositi quatiet solida nil mente tenacem.
Nil poterit justum convariare virum.

O. 4. l. 3.

Vis consilii expers mole ruit suâ:
Vim temperatam Dii quoq; provehunt
In majus: iidem odêre vires
Omne nefas animo moventes.

Consilii mox mole suâ vis corruit expers:
Vim bene firmatam provehit ipse Deus.
In majus: Sceleris vires Deus odit & arcet:
Nec probat illud opus, quod movet omne nefas.

O. 5. l. 3.

Neq; amissos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus.

Ut semel amissos fuco medicata colores
Nulla suos unquam lana referre potest;
Sic quoq; non curat virtus veneranda reponi
Militibus trepidis, cum semel exciderit.

Fortis erit qui se perjuro credidit hosti:
Si pugnat densis cerva soluta plagis.

O. 6. l. 3.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores: mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quæ non orta cadunt? quæ non vix aucta senescunt?
Damnosa quid non imminuere dies?
Pejor avis patrum, pejores nos tulit, ætas;
Qui mox pejorem progeniem dabimus.

O. 14. l. 3.

Lenit albescens animos capillus
Litium, & rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventâ,
Consule Planco.
Albescens cohibet lites rixasq; capillus:
Fervida si juvenum jurgia turba movet.

O. 16. l. 3.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrum pereamat saxa, potentius.
Ictu fulmineo.

Aurum

Aurum fulmineo per saxa potentius ictu
Rumpit, & armatas summovet excubias.
Ibidem:

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumq; fames.
Crescentes sequitur nummos fœdissima cura:
Majorisq; fames & vigil æris amor.
Ibidem:

Quanto quisq; sibi plura negaverit,
A Diis plura feret: sed cupidus manet
Magnas inter opes inops.
Plura ferent illi bona, qui sibi plura negarunt;
Sed manet inter opes semper avarus inops
Ibidem:

Multa petentibus
Desunt multa, benè est, cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.
Multa petens non multa feret, benè cui Deus offert
Parcis, dum vivit quod satis est, manibus.
O. 21. l. 3.

Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:
Et Venerem, dulcesq; jocos, tristesq; querelas,
Et facilem somnum, & jurgia vina gerunt.
Ibidem:

Ibidem:

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumq; duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresq;; & addis cornua pauperi.

Lenius immiti tormentum Bacchicus humor
Admovet ingenio, tristitiamq; fugat.
Cornua dat miseris, vires mentemq; reducit
Et male, consilium quod latuit, retegit.

O. 24. l. 3.

Dos est magna parentium
Virtus

Magna satis dos est virtus præclara parentum;
Virtus namq; manet, cætera cum fugiunt.

Ibidem:

Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Odimus incolumen virtutem, sed studiosè
Sublatam ex oculis quærimus & cupimus.

Ibidem:

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis facere & pati
Virtutisq; viam deserit arduæ.

Sordida pauperies, rebusq; inimica decoris,
Omnibus est magnum dedecus atq; probrum.
Namq; viam pulchræ virtutis deserit altam:
Et facere atq; pati quidlibet illa jubet.

Ibidem:

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?
Ut sine pistillo sonitus non tympana reddunt;
Sic quoq; proficiet lex sine more nihil.

O. 29. l. 3.

Prudens futuri temporis exilium
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetq; si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur.
Neu trepides nimium, quod adest, curare memẽto,
Namq; Deus cæcâ nocte futura premit.
Tempore præsenti vivis: præsentia cernis;
Fluminis at ritu cætera cuncta fluunt.

Ibidem:

Fortuna sævo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores;
Nunc mihi nunc aliis benigna.

Rebu

Rebus in adverſis gaudet fortuna jocari:
Rebus at in placitis ſæpè ſevera fuit.
Ludum ſæpe novum ludit: transmutat honores;
Nunc his, nunc aliis eſſe benigna ſolet.

L. IV. O. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Fortibus atq; bonis fortes gignuntur: & hæret
In pullis virtus nobilitasq; patrum.
Namq; parit volucrum nunquam regina columbam;
Nec leo velocem progenerat leporem.

Ibidem:

Doctrina ſed vim promovet inſitam;
Rectiq; cultus pectora roborant:
Utcunq; defecere mores,
Dedecorant benè natâ culpæ.

Roborat inſignis puerorum pectora cultus,
Et vim doctrina promovet ingenitam.
Mores deficiunt, licitis ubi dedecoratur
Culpis & vitiis, qui bene natus erat.

O. 5. l. 4.

Culpam pœna premit comes.

Culpam pœna comes graviter premit: ergo cavete
Flagitiis castas commaculare manus.

O. 7. l. 4.

Immortalia ne speres, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Immortalia ne speres, almus monet annus,
Atq; brevis volucrem quæ rapit hora diem.

Ibidem:

Quis scit an adjiciāt hodiernæ crastina summæ
Tempora Dî superi?

Quis scit an accedant hodiernæ crastina summæ
Tempora? sit nobis ultima quæq; dies.

O. 8. l. 4.

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Mortuus est Flaccus, sed vivit nomine; namq;
Dignum laude virum Musa mori prohibet.

O. 9. l. 4.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Nil celata juvat virtus, sed distat inerti
A vitâ paulum, nî celebrata fiet.

Ibidem:

Non possidentem multa vocaveris
Rectè beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,

Du

Duramvè callet pauperiem pati
Pejusq; letho flagitium timet.

Jure viri nomen non occupat ille beati,
Qui bona qui nummos possidet innumeros.
Sed qui divinis sapienter noverit uti
Muneribus, duram pauperiemq; pati:
Qui pejus letho scelerate crimina vitæ
Diffugit, is solus jure beatus erit.

O. 11. l. 4.

Semper ut te digna sequare, & ultra
Quam licet, sperare, nefas putando.

Ultra quam licitum sperare caveto; sequare
Digna tuis studiis; alta nimis fugias.

O. 12. l. 4.

Dulce est desipere in loco.

Grata parum gravitas sale quæ non condita; dulcis
Est jocus aspersus conveniente loco.

§ 5. Parodiæ etiam genus est Variatio poëtica ubi eandem sententiam variis elocutionibus exornamus. Ejusmodi est duodecim Scholasticorum Poetarum *Amnis glacie concretus*. Alludunt autem ad verba Virgilii, l. 3. Georgic.

Concrescunt subitò currenti flumine crustæ:
Undiq; jam tergo ferratos sustinet orbes,

Puppibus illa prius patulis nunc hospita plaustris.

Scholastici sic vertunt,

I. Pompejanus.

Qua ratis egit iter, juncto bove plaustra trahuntur:
Postquam tristis hyems frigore vincit aquas.

II. Maximianus.

Sustinet unda rotam, patulæ modo pervia puppi;
Ut concreta gelu marmoris instar habet.

III. Vitalis.

Quas modo plaustra premũt undas, ratis ante secabat.
Postquam brumali diriguere gelu.

IV. Basilius.

Unda rotam patitur celerem nuc passa carinam:
In glaciem solidam versus ut amnis abit.

V. Asmenus.

Quæ solita est ferre unda rates, fit pervia plaustris,
Ut stetit in glaciem marmore versa novo.

VI. Vomanus.

Semita fit plaustro, qua puppis adunca cucurit:
Npost quam frigoribus bruma coëgit aquas.

VII. Eusthenius.

Orbita signat iter, modò quà cavus alveus exiit,
Strinxit aquas tenues ut glacialis hyems.

VIII.

VIII. Hilasius.

Amnis iter plaustro dat, qui dedit antè carina,
Duruit ut ventis, apta fit unda rotis.

IX. Palladius:

Plaustra boves ducunt, qua remis acta carina est,
Postquam diriguit crassus in amne liquor.

X. Asclepiadius.

Unda capax ratium, plaustris iter algida prabet,
Frigoribus sævis ut stetit amnis iners.

XI. Euphorbus

Plaustra viam carpunt, quà puppes ire solebant:
Frigidus ut Boreas obstupefecit aquas.

XII. Julianus.

Qua puppes ibant, adducunt plaustra juvenci,
Pigrior ut cano constitit unda gelu.

Eorundem IRIS.

Virgil. l. 4. Æn.

Mille trahens varios adverso sole colores
Iris.

I. Maximianus

Thaumantis proles varianti veste figuras,
Multicolor picto per nubila devolat arcu:
Cum sol ardentes radios in nubila jecit.

II. Vi-

II. Vitalis.

Cum sol horrifico nimbos fulgore replevit,
Apparet varii radiis distincta coloris
Iris, & insigni decorat curvamine cœlum!

III. Basilius.

Clara sub ætheriis fulget Thaumantia proles
Nubibus, ut radiis pluvium sol attigit imbrem;
Et picturato cœlum volamine cingit.

IV. Asmenus.

Discolor ætheriis apparet nubibus Iris,
Postquam flammiferi rapuerunt lumina Solis:
Et cœlum variis miranda coloribus ornat.

V. Vovianus.

Imbriferas nubes radiis ubi contigerit Sol.
Luce sub adversâ varios jacit unda colores.
Dicitur hæc iris picto spectantibus arcu.

VI. Euphorbus.

Dum nubes radiis tetigit fulgentibus atras
Phœbus, & adverso lumen resplenduit imbri:
Tunc iris vario circumdat nubila cinctu.

VII. Julianus.

Mirifico nubes ambit Thaumante creata:
Quas cum ex adverso tetigit rota fulgida Solis,
Tunc jacit insignes pernubila densa colores.

VIII.

VIII. Hilasius.

Nuncia Junonis vario decorata colore,
Æthera nubificum complectitur orbe decoro,
Cum Phœbus radios in nubem jecit aquosam.

IX. Palladius.

Nubila cum Phœbus perfudit lumine claro,
Tum fit, ut humor aquæ suffulgeat: atq; colores
Sub variâ specie jaciat mirabilis arcus.

X. Asclepiadius.

Cum radiis imbres & aquarum pendulus humor
Frangitur: apparet, quam Græcia nominat, Iris,
Multorum insignis vario splendore colorum.

XI. Eusthenius.

Iris habet varios subjectâ luce colores:
Quam Sol imbriferâ fulgens de nube creavit,
Cum pepulit radiis obstantia nubila claris.

XII. Pompejanus.

Luce repentinâ cùm Sol implevit aquosas
Adversus nubes: effulget protinus Iris,
Pictâ veste decens, & multicoloribus alis
Sole repercussis apparet nubibus Iris.

Iidem Epitaphium Virgilii varie exprimunt.

Virgilius:

Mantua me genuit; Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope; cecini pascua, rura, duces.

I. Palla-

I. Palladius.

Conditus hic ego sum, cujus modò rustica Musa,
Per sylvas, per rus, venit ad arma virûm.

II. Asclepiades.

Tityron, ac segetes cecini Maro, & arma virumq;
Mantua me genuit, parthenope sepelit.

III. Eusthenius.

Virgilius jacet hîc, qui pascua versibus edit,
Et ruris cultus, & Phrygis arma viri.

IV. Pompejanus.

Qui pecudes, qui rura canit, qui prælia vates,
In Calabris moriens, hâc requiescit humo.

V. Maximianus.

Carminibus pecudes, & rus, & bella canendo,
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

VI. Vitalis.

Mantua mi patria est: nomen Maro, carmina sylvæ
Ruraq; cum bellis, Parthenope tumulus.

VII. Basilius.

Qui sylvas & agros, qui prælia versibus ornat,
Mole sub hâc situs est ecce Poëta Maro.

VIII. Asmenus.

Pastorum vates ego sum, cui rura, duces q;
Carmina sunt; hîc me pressit acerba quies.

IX.

IX. Vovianus, vel Vomanus.

A ſylvis ad agros, ab agris ad prælia venit:
Muſa Maronis adeſt nobilis ingenio.

X. Euphorbus, ſeu Eugenius.

Bucolica expreſſi, & ruris præcepta colendi:
Mox cecini pugnas: mortuus hîc habito.

XI. Julianus.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci,
Et Pana, & ſegetes, & fera bella, canit.

XII. Hilaſius.

Paſtores cecini, docui qui cultus in agris,
Prælia deſcripſi, contegor hoc tumulo.

Hujusmodi etiam eſt eorundem Imago in unda.

I. Hilaſius.

Redditur effigies liquidâ ſpectantis in unda,
Qualis in adverſo ſpeculorum cernitur orbe.

II. Pompejanus.

Formam pura refert oculis ſpectantibus unda,
Objecto quales ſpeculi fulgore videntur.

III. Maximianus.

Fontis aquæ reddunt ſimulacra imitantia verum,
Qualia leve refert ſpeculi, cum cernimus, æquor.

IV. Vitalis.

Exprimit oppoſitas immobilis unda figuras,
Lævati quales ſpeculi nitor ipſe remittit. V.

V. Basilius.

Apparet mendax illimi fonte figura,
Qualem rejectat speculi nitidissimus orbis.

VI. Asclepiadius.

Unda quieta refert alto de gurgite formas:
Ac veluti speculum nitido splendore coruscat.

VII. Euphorbus.

Forma repercussus liquidarum fingit aquarum,
Qualis purifico speculorum ex orbe reducit.

VIII. Vomanus.

Spectantis faciem mundissimus assimulat fons:
Sicut in oppositio speculi solet æquore cerni.

IX. Julianus.

Fontibus in liquidis simplex generatur imago:
Ut solet à speculo facies splendente referri.

X. Palladius.

Effigies liquido resplendet ab æquore fontis
Qualis & à speculo simulatrix umbra resultat.

XI. Eusthenius.

Effingit species purissimus humor aquarum,
Plana velut speculi vivas imitantia formas.

XII. Asmenus.

Fonte repulsatur depicta tuentis imago,
Ceu levi in speculo solet apparere figura.

§. 6. Nec multum â Parodiis distare videtur illud carminis genus, quod vulgo Cento vocatur, fitq́; cum ex pluribus versibus vel unius poetæ, vel plurium poetarum carmen componitur; Qualis est Julii Capilupi oratio ad Deum ex solo Virgilio adornata:

Æn. 2. *Salve sancte parens*, summi regnator Olympi Æn. 5.

Æn. 1. *Semper honos, nomenq́; tuum*, tua magna voluntas Æn. 12.

Æn. 1. *Imperium sine fine tuum laudesq́; manebunt*;

Æn. 2. *Eripe me his invicte malis*, hæc omnia firma. Æn. 6.

Ejusmodi orationem olim in illustri Gymnasio Stetinensi recitabam, erat novi anni gratulatoria sub allegoria maris. Quam hîc apponerem integram & totam, nisi nimium occuparet spatii. Ideoq́; epitomen ejus, hîc subjecisse sufficiat.

Ut mare sollicitum stridet refluctibus undis, 4. Geo.
Et vasti fluctus urgent ad littora fluctus; 5. Æneid.
Sic in se sua per vestigia volvitur annus, 2. G.
Omnis & exactis completur mensibus orbis, 5. Æn.

Na-

Navis homo: Partu damur ut sub lumnis aura, 7. Æ.
Littora deserimus, 4 Æ. rapimusq; â littore funẽ. 3. Æ
Vix dum vela damus, 1. Æ. nimbis fervere videmus
Omnia: 1. G. prorupto confligunt turbine venti. 2. Æ.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
Subductâ ad manes imos descendimus unda. 3. Æ.
Quam multi Lybico volvuntur marmore fluctus 7 Æ
Per tot nigrantes commistâ grandine nimbos, 4. Æn.
Multos difficiles multorumq; ossibus albos
Provehimur scopulos, 5. gemat ut sub põdere cymba
Sutilis & multam accipiat rimosa paludem. 6. Æn.
Talis nos sequitur per tanta pericula casus, 1. Æ.
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto. 7. Æn.
At, si vela legunt proras q; ad littora vertunt 3. Æn.
A sævis scopulis, 5. Æ. vario certamine clamor
Nauticus exoritur, 3. Æn. salvæ dum littora puppes
Protexunt: 6. Æn. tacitum quidni quoq; gaudia nostrum
pertẽtẽt pectus, 1. Æn. terræ dum tuta tenemus. 6. Æ
Atq; iterum magnum sol circumvolvitur annum 3. Æ.
Quin ubi fata sinunt, 4. Æ. veterem rellinquere portum, 7. Æ.
Famq; ratis properat, 11. Æn. successuq; acrior ipso
Agmine remorum celeri, ventisq; vocatis
Prona petit maria & pelago decurrit aperto; 5. Æn.

Quidni

Quidni vellemus passis de littore palmis, 3. Æn.
Auxilio vocare Deum, 5. votisq; intendere vela. 3. Æ.
Ergo, Deus cœlũ & terras qui numine torques, 4 Æ.
Qui vertis sortem, qui fata vices q; revolvis, 3. Æn.
Da facilem cursum, 1. G. rabiem cœliq; maris q;
Comprime, 5. Æ. mitis & in morem placidæq; paludis
Sternas æquor aquis, remo luctamen ut absit: 8. Æ.
Absit ut Auster aqua involvẽs navemq; viros q; 6 Æ.
Nos donec capiat portù placidissima terra, 3. Æ.

Sequenti vero carmine Gratulatorio, quod ex pluribus poëtis, puta Virgilio, Ovidio, Horatio, Tibullo & Lucano contextum nonnemo Fratris sui natu minoris honores Philosophicos prosequebatur cum is Philosophiæ Magister publico ac solenni ritù Jenæ crearetur:

Hactenus, o Frater, miscens adversa secundis
Nos fortuna pares servat? (1) bonore præis (2.)
Natu majorem? (3.) Non perdam tempora dixti
Sæpius; (4.) hinc laudis nomina tanta refers. (5.)
Sed mihi non ideò merces erepta laborum est; (6.)
Imminet & tacito clam venit illa pede. (7.)
Nam me digna sequor caveo sperare quod ultra est 8
Ergo & me tandem præmia digna manent (9.)
Interea Phœbus viridi tua tempora lauro
Advelet, (10.) negat haud quã tibi livor edax 11.
Et me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor: (12.) lauro mox quoq; cingar ego (13.)

(1.) Lucan Pharſ. 5. (2.) Ovid. l. 1. Eleg. (3.) Tibull. 3. Eleg. (4.) Lucan. 3. (5.) Virg. l. 4 Æn. (6.) Lucan. l. 1. (7.) Tibul. 1. Eleg. (8.) Hor. O. 11. l. 4. (9.) Virg. l. 10. Æn. (10.) Virg. l. 5. Æn. (11.) Lucan. l. 1. (12.) Virg. l. 3. Georg. (13.) Virg. l. l. 3. Æn.

CAP. IX.

§. 1. ÆNIGMA eſt quæſtio obſcura & involuta, quæ difficulter intelligitur, niſi re veletur, Micræl. Lexic. Phil.

§. 2. Juvat autem hic noſſe, aliud Ænigma eſſe in rebus, cum rei ænigmaticè deſcribendæ natura & proprietates quibusdam Allegoriæ involucris obteguntur; Aliud in verbis quod Griphus vel Logogriphus dicitur, cum dictionis alicujus literæ, vel ſyllabæ eam componentes, vel ejus Etymon obſcurè deſcribitur. KWiatkieWicz Suad. Civil.

§. 3. Et Ænigmata & Griphi paſſim apud Autores in veniuntur, nec numerus eorum est exiguus. Conſcripſit Ænigmata *Pincierus; Jul. Scaliger, Heidfeldius in Sphinge; Pontanus in Pro-*

gymn.

Gymnasmatibus; Alstedius Encyclopæd. L. XVI. Voss. L. IV. Instit. Orat. p. 203. Johan Lauterbach Hadr. Junius; Symposius; Nic. Reusnerus; Et alii. Ex multis pauca nos e. g. adducamus.

I. Ænigmata.

1. *Deme caput, finde, & profunde liquoribus ora;*
Coge loqui truncus plurima dicet apex.
Quod iniellige de Calamo.

2. *Longa feror velox formosæ filia Sylvæ,*
Curro viæ multum, vestigia nulla relinquo.
Sic loqui fingitur Navis.

3. *Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumq;*
Ignoras nisi me stirpe ab utrâq; tenes.
Christus est Gigas ille geminæ, ut veteres loquebantur, substantiæ, seu ut nos, naturæ.

4. *Fulmine quæ nunquam fertur percussa volucris*
Casibus ut variis, Sturne poëta, patet.
Perdidit hæc alas dudum, caudamq; pedesq;,
Concessit Latio Pontificiq; caput.
Viscera nunc ejus vereor, ne Lilia turbent,
Altivolæ flos hic pernicios us avi est.
Est Romanum Imperium.

5. *Ore gero gladium, matrisq; in pectore condo*
Ut mox, quæ nunc sunt mortua, viva colas.

Dux meus à tergo est, caudamq; trahens retrahensq;
Hastà, non me ut eà verberet ast alios.

Aratrum est, à Jul. Scalig. Magistro subtilitatis ita artificiosè descriptum.

6. Viva fui, vivos pavi, nunc mortua vivos,
Ipsa fero, & vivos celeri super ambulo gressu.

Navis est ex quercu fabricata, quæ florida vixit, porcos pavit, arida portat homines, & per undas super pisces fertur.

7. Sunt duo quæ duo sunt, & sunt duo quæ duo non sunt,
Quæ duo si non sunt, sunt duo nulla duo.

De Conjugio dicitur.

8 Reddere nos scimus magno cum fœnore dona
Aura datur nobis muta, sonora redit.

Sunt folles organici.

9. Dic mihi quæ fuerit, matri quæ † filia nupsit?
*Cujus erat * mater mascula, Nemo † Pater?*

† *Eva* * *Adamus* † *Deus. vid. Joan. 8 Wex.*

II. Logogriphi.

1. *Anguis & annulus & superaddita norma, quod usquam*
Est rerum, bis vitam tribuunt augentq; tributam.

Est S O L.

2. Can-

2. Candidior cygni plumis sum filia Brumæ,
Dura minus glacie, sed nec minus algida: fungo
Rarior, ac fluidum in laticem tabesco tepore:
Signo novem, fuerit si littera prima recisa:
Cor mihi si jungas, vix est avis atrior ulla.

Hoc est

NIX. IX. CORNIX.

3.

1. Gloria sum vatum 2. Mundi caput. 3. Unica virtus.
Omnia quæ vincit lex & cui tradita nulla est.
4. Nautarum desiderium; 5. Sed amantibus obstans
6. Quondam quod portus fuit Iccius, hoc hodie sum;
Teutonice ad junctum saltem præponito Sancti.
7. Contra hostem quod cuiq; licet, facio simul idem.
8. Id quod Aristotelis proponitur antagonistæ.
9. Quod cupit omnis amans re verâ dicere, dico.
10. Nomine Teutonico miserum voco: atq; ordine mixto.
11. Agricolæ officio fungor: modò detrabe mille.
12. Huic operi inverso incumbas, si te urget egestas.
13. Ense caput Ramo si demseris, omnipotentis
Impleo mandatum Christi 14. demto sed utroq;
Sum plane hoc ipsum, Jova se quod prædicat esse.
Meq; notis cernis tantum constare quaternis.

I
R
4 2
A 3 O
M

I. Virgilius MARO. 3.4.1.2. merito poëtarum omnium decus. II. Urbs ROMA. 1.2.3.4. III. Omnia vincit AMOR. 4.3.2.1. & sincera dilectio legem non habet, quia omnia amoris seu charitatis opera spontè & cum lætitiâ perficit. IV. Nautæ nihil in itinere magis expetunt, quam ejus terræ, quo tendunt ORAM. 2.1.4.3. V. Amantibus nihil magis invisum quam MORA. 3.2.1.4. VI. Urbs Flandriæ vulgo dicta Sant OMAR. 2.3.4.1. non enim re vera Caletum est, secundum huc usq; inolitam opinionem, cujus sententiæ testimonia invenies firmissima in Theatro Ortelii. VII. Jure naturali contra hostem me meum ARMO 4.1.3.2. VIII. In omnibus Acadæmiis notissimo illi RAMO. 1432. IX. Qui amatur (præcipuum quod omnis amans expetit) reverâ passive dicere potest AMOR. 4.3.2.1. X. Quod Latinè dicimus ô Miserum! Germanicè O ARM! 2413. XI. M. numerorum litera sive nota, mille significans,

gnificans, quam si demseris remanet ARO. 412. quod si facio agricolæ fungor officio. XII. Retrogrado ordine ex ARO. fit ORA 214. quod tibi factu consultum est, si necessitas jubet. XIII. Solutio planissima: Demtâ enim primâ literâ in dictione RAMO, restabit AMO 431. quod si fecero obtemperabo mandato Christi dicentis, ama Deum, ama proximum. Obscurius paulo fuisset si dixissem: Principium errorum si demseris, etc. XIV, Sublato utroq; scilicet *M.* & R. remanebit A & O. aitq; ipse Jehova in Apocalypsi, Ego sum A & O.

4. *Si caput est currit, ventrem conjunge, volabit.*
Adde pedes, comedes, & sine ventre bibes.

MUS, MUSCA, MUSCATUM, MUSTUM.

5. *Ter tria sunt septem, septem sex, sex quoq; tres sunt:*
Octo dant quatuor, quatuor faciunt tibi septem.
Hæc numeres rectè, faciunt tibi milia quinq;.

Intelligitur de literis: Ter tria (hæ duæ scilicet voces) dant septem literas etc. Milia dant quinq; literas.

6. *Sex semper fugias, sed cautus quinq; sequaris,*
Cum quatuorq; brevi tempore tutus eris.
At tribus & binis poteris: facilè uti & abuti,
Tu Sphingem superas si mea dicta capis.

Loquitur de literis vocum. 6. Amores, 5. mo-
res, 4. ores, 3. Res, 2. Æs, vel Es. continet.
7. O nihil est, C C bis centum nunciat, A, nîl,
S. quintum primum, I, rursus & O nihil, est
Est vox OCCASIO.

8. Addam & Logogriphos, ex tempore factos ab illustrissimo Hassiæ Principe Mauritio in rhedâ Anno 1603. 17. Febr. ex selectis carminibus D. Gocleni, p. 439.

En caput atq; pedes ventris cum parte volabunt
Et cum ventre pedes crudeli morte necabunt,
At caput & venter mordaci dente vorabunt,
Pes caput & venter jucunda voce sonabunt.
Sunt voces: Musca, Sica, Mica, Musica.
Si caput accipias, summo cum ventre, vigebit
Sumo pedes imo cum ventre & serviet aris:
Imò conscisset mortem sine ventre bibenti:
Dexter pes capiti si jungitur, opprimit hostes:
Cum pedibus ventrem ferro proscindit arator:
Si capias totum, laudem mortalibus affert.
Sunt voces: Vir, Tus, Virus, Vis, Rus, Virtus.
Dic quæ tot tenet in se vox dissyllaba voces?
Orcus, opus, porcus, rus crus, pus, cor, procus, os, cos,
Ros, porus, o, cur, uro, spuo, spurco ruo, curo.
Est nomen CORPUS vox dissylaba, & sex literarum CAP-

CAP. X.

§. 1. ACROMONOSYLLABICUM, seu carmen, Monosyllabo catalecticum est, in quo voces unius syllabæ singulari modo ponuntur.

§. 2. Est autem alind simplex, aliud figuratum; hoc est cum vel in fine cujusq; versus tantum monosyllaba vox ponitur ut,

Indicat in pueris septennia prima novus dens,
Pubentes annos robustior anticipat vox. etc.

Ejusmodi versus sæpius occurrunt in Virgilio ut, l. 2. Georg.

Prima vel Autumni sub frigora cum rapidus sol etc.
Ipse ruit dentes q; Sabellicus ex acuit sus *l.* 3. Georg
Vertitur interea cœlum ruit Oceano nox. 2. Æn.
Quo nunc est fortuna loco, qui casus agit res? l. 9 Æn.
Concilium q; vocat divûm pater atq; hominum rex.

l. 10. Æn. &. 6.

Unus qui nobis cunctando restituit rem. etc. etc.

§. 3. Vel cum ponitur ab initio, & in fine simul: ita ut versus aliâ voce monosyllabâ incipiuntur, aliâ vero finiuntur: ut,

Qui *rectè faciet, non qui dominatur, erit* rex.
Quis *subit in pœnam capitali judico?* vas.
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs

§. 4.

§. 4. Acromonosyllabicum figuratum est, quod habet perpetuam Anadiplosin; unde etiam dicitur *Climacticum*, & *concatenatum*. Tale est illud Ausonii:

Res *hominum fragiles alit & regit, & perimit* fors.
Fors *dubia æternumq; labãs, quam blãda fovet* spes
Spes *nullo finita ævo cui terminus est* mors.
Mors *avida, infernâ mergit caligine quam* nox.
Nox *obitura vicem; remeaverit aurea quum* lux.
Lux *dono concessa Deûm, cui prævius est* Sol.
Sol, *cui nec furto Veneris latet armipotens* Mars.
Mars, *nullo de patre satus: quem Tressa colit* gens.
Gens *infræna virûm, quibus in scelus omne ruit* fas.
Fas *hominem mactare sacris ferus iste loci* mos.
Mos *ferus audacis populi; quem nulla tenet* lex.
Lex, *naturali quam condidit imperio* jus.
Jus *genitum pietate hominum, jus certa Dei* mens.
Mens, *quæ cœlesti sensu rigat emeritum* cor.
Cor *vegetum mũdi instar habẽs, ãimæ vigor ac* vis.
Vis *tamen huic nulla est; verum est jus & nihili* res.

Tale etiam est quod non ita pridem Beatis Manibus D. M. Davidis Clinthii Ecclesiastæ Wismarienſium apponebam, cum Is Anno 1680. 18. Novemb. decederet:

Vix *expectatos plausus nobis retulit* pax,
Pax *sacer orbis amor*: *vix ensem deposuit* Mars,

Mars

Mars *gaudens bellis; & tristia tela capit* Mors,
Mors *hinc inde metẽs multos: quã nulla movet* sors,
Sors *quæ cũcta regit; quam flectere nulla potest* ars,
Ars *quanquam versuta satis. Quid? sub jacet &* Rex,
Rex *licet ipse regat; morti quoq; subditus est* grex,
Grex *juvẽumq; senũq; hominum. Firmissima stat* lex,
Lex *sancita semel; quà cunctis certa manet* nex,
Nex *culpæ merces. Hinc ipse Ministerii* flos,
Flosq; *Senatorum cadit. Ah nimis horridus est* mos,
Mos *mortis! Sed quid tum? nobis mors pia non* res,
Res *horrenda nimis; sed erit finis crucis &* spes,
Spes *vitæ. Vos ergo genas abstergite nam* lux,
Lux *vitæ Christus, prohibebit (credite) ne* crux,
Crux *perdat vos; ipse sed omnem restituet* rem.

§. 5. Tandem Acromonosyllabica dici possunt versus, in quibus quâcunq; ratione monosyllaba coacervantur, v. g.

Quæ monosyllaba sunt ne curta vocabula sperne,
Mos, mors, Mars, plebs, Rex, *sũt metuenda tibi.*
Item: *O pie grex, cum tetrica lex &, nulla doli fex,*
Qui via, qui lux, hic tibi sit dux, alma tegat crux.
Lex regina, magistratus Rex, grexq; popellus,
Si bene habent, tunc se publica res bene habet.
Lex ceu Rex mutus, Rex ceu lex viva gubernat,
Grex legi & Regi paret utriq; volens.

Nec

Nec non:

Ludens taxillis, bene respice quid sit in illis:
Spes tua, res tua, sors tua, mors tua pendet in illis.

CAP. XI.

§. SYMPHONI seu Versus Concordantes dicuntur, qui habent communes quasdam dictiones & sylabas, ac conveniunt dictionum ac Syllabarum numero, etsi sunt antitheci. e. g.

1. *Qui capit uxorem litem capit atq; dolorem.*
   Qui capit uxorem litem capit atq; rem.

2. *Et canis in sylvis pena tur & omnia servat.*
   Et lupus in sylvis nutri perdit.

3. *Vir vide quid nam jube dum magnus habe*
   Et cave ne forte ru dum stare vide ru.
   Et vide as ne despici as qem ledere quæ
   Dat vari fortuna vi non inde mire

4. *Quæ P propter pec per*
   Mœra Dei Fratris facies pla cata red emit.

5. *Quos a d tr fu ner str*
   Hos sanguis mirus Christi de vul e l avit

6. *Mille tu*
   Nulla me as oner a nt exotica fercula mensas.
   e

7. *Nunc bon triſt capessit*
   mal us in mundo let atur & astra relinquit.

8. *Qui*

8. *Quicapit ambrosiam Christi capit ille salutem*
ret a ret e

9. *Victores victis satagunt obtrudere* *leges. mores. linguam. cultum.*

10. *Hos ego versiculos feci tulit alter honores.*

Sic vos non vobis *nidifica vellera fer mellifica fer* *tis* *av ov ap aratra bov* *es.*

CAP. XII.

§. 1. PARALLELI dicuntur, cum dictiones unius versus dictionibus alterius versus subtus collocatis respondent: unde Fabricio dicuntur versus correspondentes, item Correlativi.

§. 2. Sunt autem alii ex repugnantiis, qui alias *Æquidici* dicuntur seu *Isolecti*, cum singulæ dictiones habent singulas dictiones sibi oppositas: ut,

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Talis est etiam ille versus Virgilii:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quem

Quem admodum & ille:

Nux, asinus, campana, piger, sine verbere cessant,
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet.
Sed simul ut ferri plagam sensere, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

§. 3. Alii dicuntur ex convenientiis, suntq; vel Rhythmici, vel Anarhythmici: Homœoteleuti vel Anomœoteleuti: Homœoptoti vel Anomœoptoti, ut patebit in exemplis.

Virgilius de se ipso:

Pastor, arator, eques; pavi, colui, superavi;
Capras, rus, hostes; fronde, ligone, manu.

Res gestæ Ciceronis:

Defendi, tenui, vetui; face, cede, cruore;
Civis, Dux, Consul, tecta, patres, Latium.

Dii fictitii eorumq; studia:

Mars, Pan, Pluto, Ceres, Liber, Neptunus, Apollo,
Arma, nemus, barathrum, segetes, mera, flumina, Chordas,
Captat, amat, dat; multiplicat, fundit, regit, aptat.

Christus alloquitur homines:

Vos, quos includit, frangit, gravat, attrahit, urit,
Hic carcer mœstus, labor, exilium, dolor, æstus:
Mel, lucem, requiem, patriam, medicamen, & umbrã,
Quærite, sperate, scitote, tenete, vocate.

En

Encomium docti cujusdam viri:

Muſicus, orator, vales, trahis, allicis, imples,
Saxa, animos, cœlos, voce, lepore, modis.

Mors trium:

Sus, juvenis, ſerpens, caſum venêre ſub unum
Sus jacet ex ictu, pede ſerpens, ille veneno.

Item:

Anguis, aper, juvenis, pereunt vi, vulnere, morſu:
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

Item:

Sus, ſerpens, juvenis, pariter perière vicisſim:
Dente perit juvenis, pede ſerpens, porcus ab ictu.

Notum quoq; eſt illud:

Sus, pueri bini, puer unus, nupta, maritus,
Vi, cultro, lympha, fune, dolore cadunt.

Tritum eſt diſtichon:

Temporibus noſtris quicunq; placere laborat,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Eraſmi Roterodami hoc eſt:

Ex minimis vitium, cœlum, modulamina, caſtra,
Surgit, alit, penetrat, ſuſcitat, exuperat,
Seditio, requies, oratio, cœna, favilla,
Maxima, longa, brevis, ſemibrevis, minima.

Mu-

Musica de se ipsa:

Vinco, flecto, rego, cantu, dulcedine, plectro,
Dira, cruenta, feros, tartara, monstra, viros.
Languentes relevo, morituros excito, mœstos
Erigo, pallentes munio, vinco Deos.

De Christo & hostibus spiritualibus.

Excruciat, perdit, sanat, lue, cæde, cruore.
Mors, Satanas, Christus, pectora, mẽbra, ãima.

Apparatus bellicus:

Instruit, inducit, jacit, admovet, exrimet, urget,
Classica, tela, faces, tormenta, tonitrua, classes.

Johannes Lauterbach ad Paulum Melisium.

Os Hermetis habes, modum Apollinis, harmonias
Orphei, tres unius docte Melisse refers.
Ore, modo, harmoniis, Hermetis, Apollinis, Orphei.
Profer, conde, sona, verba, poëma, melos.

Arma Christianorum:

Castus, egens, cœcus, domui, sprevi, superavi,
Corpus, opes, Satanam, verbere, corde, prece.

Laus operis alicujus:

Admiror, stupeo, delector, comprobo, laudo,
Ornatum, eloquium, carmine, acumen, opus.

Christophorus de se ipso:

Peserui, gessi, docui, subiij, colloq,
Perfidiam, Christum, sidera, fata, polum.

Epi-

Epitaphium Bernhardi:

Præbuit, instruxit, dispersit resuit, emit,
Exemplum, fratres, danda, cavenda, polum.

Epitalamium:

Terra, polus, Tethys, fert flores, sidera pisces
Vota, Deus, pietas, dant nuptam, gaudia, natos.

Carolus Utenhofius in nuptias Margaretæ Frãciæ:

Anna, Camilla, Lucretia, concinit, intonat, ornat,
Artemia, arma, Hymenem, carmine, voce, lyra.

Quatuor ordines dentium:

Incidit, terebrat, minuit, sæpe indicat annos,
Cultellus, terebrum, mola, gnomon fixus in ore.

Stigelius;

Vinitor, agricola, & vox amputat, excitat, intrat,
Vites, rus, aures, falce, bidente, sono.

Insignis est alternatio in illo:

Gloria, mors, virtus, fortes, mortalia, justos
Famâ, falce, astris, erigo, sterno, beo.

Tetrastichon de corruptis moribus:

Perditio, gladius, pestisq;, ruina, flagellum,
Subjectis, sibi, mundo, patriæ, populo,
Junior, effrænis, vanus, divisa gubernans,
Princeps, Rex, Clerus, nobilitas, mulier.

Norma vitæ:

Dilige, luxuriam, vitium, cole, destrue, sanctos,
Justitiam, fuge, sperne, Deum, Satanam reverêre.

Epi-

Epitaphium Wilhelmi Episcopi Olomucensis:

Wilhelmus Princeps, quem Maximus Æmilianus
Ad tua legatum sceptra, Polone, dedit:
Hanc ædem, populum, Museum, Numen, Olympum
Ornavit, docuit, struxit, amavit, habet.

Cœna Domini:

Cœna, Sacramentum, panis, communio, sanguis,
Ultima, divinum, vivus, sanctissima, Christi
Vivificat, donat, confortat, deprimit, auget,
Mentem, solamen, mortales, crimen, amorem,
Lætificat, spernit, concludit, pandit, adunat,
Mœstos, elatos, infernum, sidera, amantem,
Roborat, exaltat, nutrit, dilatat, opimat,
Infirmos, humiles, pietatem, pectora, fructu,
Conjungit, solidat, ducit, dulcescit, opacat,
Credentes, dubios, errantes, mentibus, umbra.

David Crinitius in obitum Imperatoris.

Panonii, Austriades, Bohemia, Slesia, Cæsar,
Magnamini, fortes, dives, amœna, potens.
Luctificos, largas, dejectos, tristia, fatis,
Edite, proferte, scinde, profunde, suos,
Singultus, lacrymas, vultus, suspiria, clausit,
Pectore, luminibus, unguibus, ore, dios,

Luctifico

Luctificos, mœstis, miserantis, irriguo, at non
Assidui, subitò, continuò: ultrò, obiit.
Exigit hoc, persuadet id, hoc monet, id jubet, ivit.
Officium, pietas, gloria, amor superos.
Pannoniæ Archiducis, regalis, principis, inter
Ex tremum, celebris, splendida, summus, agit.

His adjicio Epitaphium, quod Anno 1680. 17. Maji B. Dom. M. Michaeli Ludovici, Superintendenti Wismariensium, erigebam:

Magister Michaël Ludovicus Superintendens,
per Anagramma:
Nuncius hic legis erat: Sed eum mors. Enplaudit!
Nuncius *(en!)* hic legis erat *Doctorq; salutis;*
Sed *rapida & præceps* mors *jugulavit* eum.
Doctus erat, pollens, largus, devotus, & annis
Artibus, ingenio, munere, corde, gravis.
En plaudit, *plangunt, vivit, sepelitur, olympum,*
Spiritus, affines, gloria, corpus habet.

§. 4. At non semper dictiones dictionibus sub se positis respondent, verum accidit aliquando hyperbaton, sive trajectio unde ejusmodi versus usitatè vocantur Hyperbati, e.g.

Dura, malum, cunctos, tulit, horruit, ædificavit
Vana, Deum, requiem, sprevit, amavit, habet.

Item:

Artis, honestatis, juris, præcepta, decus, vim,
Conculcant, superant, spernunt, vis, æra, potentes.

CAP. XIII.

§ 1. PHILOMELISMA, est artificiosa repetitio, qua aliquot voces in diversis positæ versibus, in unum colliguntur. Dicitur alias *Euthysylloge*, Euthyanalepsis & Euthysyllepsis; item carmen analecticum. Syllecticum & Synagogicum.

§ 2. Possunt autem verba, seu singulæ voces, quæ colligi debent, singulos versus inchoare, ut in illo:

Relligio *decorat nos puro purior auro*
Virtus *hinc sequitur lampas honosq; viri.*
Musica *sacra decet sacros, qua Jova canatur.*
Jura *docent homines vivere ceu homines.*
Sic Deus *almus adest Ergo hoc age te ut simul ornent*
Relligio, Virtus, Musica, Jura, Deus.

§ 3. Vel possunt etiam in singulorum versuum fine poni, ut in fine carminis repetantur, hoc modo:

Quis dabit ut superẽ tristissima tẽpora? Christus.
Ecquid me studii mole levabit? Amor

Quid-

Quid faciet mundi illecebras contemnere? Virtus.
Quæ mihi divitiæ? Mensa *salis modici.*
Quis dabit hæc tanta & mihi talia dona? Jehova.
Quid dabit hæc eadem sed retinere? Charis.
O mihi contingat sex ista expendere semper:
Christus, Amor, Virtus, Mensa, Jehova, Charis.

§. 3. Vel promiscuè modò ab initio, modó in medio, modò in fine alicujus versus voces colligendæ ponuntur alio etiam in casu, quam colliguntur, ut,

Suavis Drostla *suo mulcet modulamine sylvas,*
Vox suavis merulæ, *pectora læta facit.*
Est suavis Progne *signata rubedine pectus.*
Et suaves modulos suavis achantis *habet.*
Suavis alauda *melos lyricum canit ore sonoro;*
Suavis luteola *es flava colore tuo.*
Suavis turdus *adest magnis heroibus ales,*
Et suavis chloris *cui sua penna viret.*
Suavis olor, *suavi sua funera carmine deflet:*
Suavis in autumno concinit ore parus.
Quid de te ô suavis philomela *existimat auris?*
Dicam: præ reliquis tu philomela places.

Suavior es drostlâ, merulâ, progne, achantide, alaudâ,
Luteolâ, turdo, chloride, olore, paro.

Tale etiam est
Epigramma de Christianorum emblemate
Christus est nobis omnia.

Mens mea ne trepides; Christus tibi cuncta ministrat
Munera quæ vitæ, funera quæq; levant.
Si tenebras animi refugis noctisq; pavores;
Sol *est, irradians lumine cuncta suo.*
Si dape collapsas vires reparare laboras;
Vivificum cœlo sufficit ille cibum.
Si latus aut renes morbo cruciaris acuto;
Hic validum docti Pæonis unguen *habes.*
Si te fata premunt, durisq; in rebus egestas;
Portus adest, &, opus queis tibi, donat opes.
Si fera bella movent Satanas, caro, mundus & orcus;
Pax *tibi de Christi certa cruore venit.*
Figere si recto vestigia tramite gestis;
Est via *demonstrans quà pedes ire queas.*
Si truculenta paves immitis spicula mortis;
Est vita, *obtundens hostica tela necis.*
Si moriens fragili migras è carcere carnis;
Æterna in superûm sit tibi sede salus.

Cuncta tibi est Christus mea mens, (quid plura requiris?)
Sol, Cibus, Unguen Opes, Pax, Via, Vita, Salus.

In

* * *

In Cantu Cantic. Cap. 4. v. 7. leguntur hæc verba: *Tota pulchra es* amica mea: quæ hoc epigrammate philomelino exprimuntur:

Sunt pulchræ ſylvæ, *ſunt pulchra* nomiſmata, *pulchrum*
Eſt pratum, *in viridi* gramina *pulchra ſolo.*
Sũt pulchræ gemmæ, *ſũt* aſtra & ſtemmata *pulchra.*
Sunt pulchri flores, *eſt quoq; pulchra* dies.
Pulchrior es ſylvis *mea ſponſa* nomiſmate, prato,
Gramine, gemmâ, aſtris ſtemmate, flore, die.

* * *

Epigramma de Victoria ſui ipſius:

Eſt hebenum *lignum, quod profert Indica, forte;*
Alcidem *fortem nonne fuiſſe canunt?*
Fortis res ferrum, *teſtis Vulcanius ignis:*
Fortis & in bello Troicus Hector *erat.*
Fortis Alexander *totum ſibi ſubdidit orbem;*
Dis illum vincens fortis & ille fuit.
Et Milo *fortis erat, qui taurum ferre valebat,*
Quis fortes poterit dinumerare feras?
Fortior eſt ſeſe vincens hebeno, Hercule, ferro,
Hectore, Alexandro, Dite, Milone, feris.

* * *

Epigramma de morte Christi.

Pro servis *moritur*, *Dominus pro* sontibus *insons*;
Pro ægroto *medicus*, *pro* grege *pastor obit*.
Pro populo *Rex mactatur*, *pro* milite *ductor*,
Pro opere *ipse opifex*, *proq;* homine *ipse Deus*.
Quid servus, sons, ægrotus, quid grex, populusq;
Quid miles, quid opus, quidve homo solvet? Amet.

§ 4. Non tamen opus est, ut collectio vocum semper in finem cadat, sed potest etiam ab ipso carminis initio fieri. Sic illud quod supra positum, Heidfeldius in Sphinge p. m. 1076. ita profert:

Si Deus almus adest, si nos quinq; hæc simul ornent:
Relligio, Virtus, Musica, Jura, Deus.

O mihi contingat quinq; ista expendere semper,
Sic felix fuero terq; quaterq; simul.
Relligio *decorat nos puro purior auro*,
Virtus *hinc sequitur lampas honosq; viri*.
Musica *sacra decet sacros*, *quâ Jova canatur*,
Jura *docent homines vivere ceu homines*.
His Deus *haud aberit*.

CAU

CAP. XIV.

§ 1. SERPENTINUM seu *Carmen Anguinum* dicitur, cujus versus inter se recurrunt ita ut finis consentiat cum initio. Vocatur etiam carmen Epanalepticum, à figura Rhetorica.

§. 2. Hoc autem accidit vel in unâ tantum voce, ut, quæ posita sit ab initio, in fine repetatur. v. g.

Virg. l. 1. Æn.

Multa *super Priamo rogitans, super Hectore* multa.

Juvenalis. Sat. 6.

Nil *non permittit mulier sibi, turpe putat* nil

Idem. Sat. 14.

Crescit *amor nummi quantum ipsa pecunia* crescit

§ 3. Vel ejusmodi repetio consistit in pluribus verbis, & in integro commate, ut in sequentibus:

Mart. 9. Epigr. 99.

Rumpitur invidia, *quod amamur, quodq; probāmur: Rumpatur, quisquis* rumpitur invidia.

Idem. l. 8. Epig. 21.

Phosphore redde diē, *quid gaudia nostra moraris Cæsare venturo*, Phosphore redde diem.

O

Ovid. 4. Fast.

Qui bibit, inde furit: *procul hinc discedite quels est*
Cura bonæ mentis: qui bibit, inde furit.

Idem l. 1. Amor. Eleg. 9.

Militat omnis amans, *& habet sua castra Cupido*
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Sedulius in hymno:

Sola fuit mulier, *patuit qua janua letho:*
Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

Poëta Christianus

Sola fides *audet tua* munera *poscere Christe;*
Obtinet hæc eadem munera sola fides

Sedulius:

Aurea vellus habet: *madido sed vellere sicca est:*
Siccum tota madens aurea vellus habet.

* * *

Graja juvenca venit *quæ te patriamq; domumq;*
Perdat, iô prohibe: Graja juvenca venit.

Propert: l. 2.

Hujus ero *vivus, mortuus* hujus ero.

* * *

Balnea, Vina, Venus *conservant corpora nostra*
Corrumpunt eadem Balnea, Vina, Venus.

§ 4. His versibus Henricus Bebelius contrarios facit concatenatos seu Epanodicos: ut,

Me tibi donat honor, sed honor qui me tibi donat,
Creditur altus amor, sed amor qui creditur altus,
Me jubet esse tuum, vel amor, qui me tibi junxit.

Sic Virgil. Ecl. 8.

Crudelis tu quoq; mater,
Crudelis mater magis, an puer improbus ille,
Improbus ille puer, crudelis tu quoq; mater.

CAP. XV.

§ 1. ECHO dicitur illud carminis genus in quo extremæ dictionis pars resonat, & repetitur in alterâ. Hujus pægnii passim extant exempla in Erasmo, Sabino, Tebaldeo, Joh. Secundo, P. Melisso & aliis, quæ omnia congerere & accumulare, vel huc ascribere, nimis esset operosum. Unum tamen atq; alterum adducã:

Joh. Buchler lib. de re poët.

Dic mihi, quæ gelidis habitas convallibus Echo,
Cur populus pacem sic modo clamat? Amat.
Ad divam pacem precibus concurritur? Itur
Ut damnum fugiat triste colonus? Onus.
Rusticus ergo iterum campos reparabit? Arabit.
Et tuto curret remige navita? Ita.

Om-

Omniaq; evenient in mundo prospera? Spera.
Largaq; nec rerum copia, deerit? Erit.
Si retulisti Echo mihi vera, valeto. Valeto.
Donec nostra iterum verba novabis. Abis.

Eruditè & piè conscriptum est hoc
in Natalem Christi Servatoris:

Hæc Bethlehemitæ pastores, verba referte:
Audita est Echo, quæ juga montis habet.
Quis natus? dixit Natus. *Patris ne Judæi?*
Illa Dei. *Verus ne est homo? dixit:* Homo
Atq; hic idem nonne Deus remanet? Manet. *Est ne*
Ut Pater omnipotens? retulit illa, Potens.
Hunc quid de cœlis duxit? Lis duxit. *At istam*
Dic utrum vincet? Vincet *& ipsa refert.*
Litis erat radix longæva? Eva. *An mala?* Mala.
Num gula sic potuit? retulit hæc, potuit.
An puer hic fiet magnus? quæ reddidit, Agnus.
Ipse ait hoc? ait hoc. *Cur ita clamat?* Amat.
Is majus nostro num quid dare possit amori?
Reddidit illa nihil quam gemebunda Mori.
Hoc faciet? Faciet. *Moriens?* Oriens. *Deus ille?*
Heus ille. *Est forsan causa tua?* Ausa tua.
Diligere hunc ergo par est super omnia Christum?
Istum. *Nonne Deum? dixit* Eum; *& tacuit.*

§ 2. Huc pertinet *Paronomasia seu Alliteratio*, cum voces simili sono pulchrè interse consonant ut in illo:

Vos Monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi,
Vos estis, Deus est testis, deterrima pestis,

O Venus:

Quæritur unde tibi sit nomen Erasmus? Eras Mus
Si sum mus ego, te judice, summus ero.

Elegans ad modum est:

Fide, sed ante vide, qui fidit, nec benè vidit,
Fallitur; ergo vide, ne capiare fide.
Fide parum: sed multa vide; nam multa videre
Sæpe juvat multum fidere sæpe nocet.

Alius aliter ex primit:

Ex multis aliquem tibi selige cautus, & illi:
Fide; sed ante vide, dignus an ille fide?
Vidi namq; fides quod fallat: tutius ergò
Fidis, quando vides, cui sit habenda fides?
Fide parum, multumq; vide, nam fidere multum,
Et vidisse parum, maxima damna parit.

Nec lepore caret illud Anonymi:

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Talia quoq; sunt hæc trita:

Si quæratur honos non fugiatur onus.
Tunc alias culpa, cum tu fueris sine culpâ.
Mutua quæ debes ridendo solvere debes.
Immundus mundus Christi fit sanguine mundus.
Gaudet uterq; parens, cum filius est bene parens.
Spes confisa Deo nunquam confusa recedet.
Hoc scio pro certo quoties cum stercore certo,
Vinco seu vincor semper ego maculor.

Notum etiam est illud de Campana.

Funera plango, fulgura frango, Sabbatha pango,
Excito lentos, dissipo ventos, paco cruentos.

Et hoc:

Æris servus eris, si te species trahit æris,
Æri cur hæres? cras æris non eris hæres.

Item:

Non vox sed votum; non Musica chordula, sed cor:
Non clamor sed amor, clangit in aure Dei.

§ 3. Referri quoq; huc possunt *Versus Leonini*, quorum vel fines & media, vel fines consonant. Ejusmodi sunt versus dirhythmici Medicinæ Salernitanæ, inquibus medium & fines consonant. Ita etiam in illis:

En

En ego campana, nunquam denuncio vana,
Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos plango, vivos voco, fulmina frango:
Vox mea, vox vitæ, voco vos ad sacra, venite,
Sanctos collaudo, tonitrus fugo, funera claudo.

De Meretrice:

Cum vultu pungit cum verbis dulciter ungît,
Affectum fingit, complexu pectora stringit:
Si res procedit, vah! animam cum corpore lædit.

De Pœnis infernalibus:

Sunt ibi tortores serpentibus horridiores,
Deformes, nigri, sed non ad verbera pigri.
Nunquam lassantur, sed semper ad hoc re novãtur.
Nunquam quassati, semperq́ ferire parati.
Semper mordescunt, nec cessant, nec requiescunt.

In hoc fines consonant:

Ut mens se videat positâ caligine fumi,
Quis vetat apposito lumen de lumine sumi.

Sic Bernh. in Orat. Rhythmica:

Quo cunq; loco fuero,
Jesum meum desidero,
Quam lætus, cum invenero,
Quam felix, cum tenuero.

De

Et illud Anonymi.

Annis mille jam peractis,
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, verba lactis
Fel in corde, fraus in factis.

§ 4. Annectimus quoq; his ea carminum genera, in quibus voces ejusdem originis variis casibus inter se consonant Vocantur vulgo *Polyptota*: ut,

Virg. l. 3. Æn.

Et nati natorum & quæ nascuntur abillis.

Idem. l. 4. Æn.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor arma armis etc.

Sic Joh. Picus Mirand.

Namq; tua est nostris major clementia culpis,
Et dare non dignis res mage digna Deo est.
Quanquam sat digni, siquos dignatur amare
Qui, quos non dignos invenit, ipse facit.

Item:

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoq; avidum pinguescere corpore corpus.
Alteriusq; animantem animantis vivere leto.

Virg.

Virg. l. 10. Æn.

Hæret pede pes denſusq; viro vir.
Et:

Preſſatur pede pes mnero mucrone, viro vir.

Hujus farinæ eſt etiam LAPIS SEPULCHRALIS, quem Dno. Caſparo Voigtio Conſuli Wiſmarienſium meritisſimo Anno 1681. 24. Martii ponebam:

Siſte.pedem.lapidem.quicunq;.præiveris.iſtum.
Sed. cave.conſiſtas. ut lapis. ad. lapidem.
Perlege.nam.lapis.hic.lapides. nõ.mollia.verba.
Dicit. quæ. haud. lapidi. ſed. tibi. *dicta*. cape.
Omnem. qui. lapidem. movit. dum. vita. manebat.
A. lapide. preſſus. molliter. hocce. latet.
Sub.lapide.hoc.lapis.eſt.lapis.at.pretioſior.auro.
Urbis. qui. noſtræ. lucida. gemma. fuit.
Inter. Adamigenas.adamas.adamatus.ab.omni.
Sed. citius. vitro. fractus. &. interiit.
CASPARUS. VOIGT. eſt. Vir. magno. nomine Magnus.
Conſul. Wiſmaricus. Conſilioq;. potens.
Omnia. qui. facta. ad. Veri. revocavit. amuſſim.

Cuiq

Omnia. qui. facta. ad. Veri. revocavit. amussim.
Cuiq;. fuit. Justum. Lydius. ille. lapis.
Corpore. sub. lapide. est. animâ. sed. vivit in. astris.
Corpore. defunctus. nomine. vivit. adhuc.
Jam. lætus. lapidem. quadratum. spectat. Jesum.
Sed. te. dum. vivis. quam. mala. multa. premũt.
Quot. lapides. quot. saxa. petunt. &. pectora. frangunt.
Usq;. etiam. tandem. mors. tibi. certa. venit.
Mors. lapis. est. in. quem. currẽdo. impingimus. omnes.
Æolidæ. lapis. est. qui. retro. sæpè. cadit.
Cumq;. tuo. capiti. propius. nunc. imminet. ergo.
Tempore. quo. vivis. tu. benè. disce. mori.

CAP. XV.

§. 1. MNEMONICI sunt versus qui paucis verbis res multas complectuntur, ad succurrendum memoriæ.

§2. Fiunt isti multis modis. Principiò singula vocabula referre possunt, vel singulos libros, vel singula capita, vel singulas sententias, e. g.

1 2 3 4 5
Mundus, lex fertur, peccatur, Abelus, Enochus.
6 7 8 9 10
Arca fit, intrat, abit, fœdera, Noachidæ.

Hic

Hîc singulæ voces continent argumenta singulorum capitum Geneseos â primo usq; ad decimum.

1 2 3 4 5 6

Cœna, Hortus Caiphas, Pilatus, Crux q, Sepulchrũ.

Hoc versu comprehenditur passio Christi. Sic Scholastici com plectuntur sex opera miseri cordiæ hoc versu:

1 2 3 4 5 6

Consule, Castiga, solare, remitte, fer, ora.

§ 3. Deinde vocabula acrosticha vel σημαντικὰ, vel ἄσημα includuntur versibus, ita ut quævis literæ certam vocem significent. e. g.

SAL tibi pro ponit Schola, quod tu lingere disce; i. e. Schola docet bene Sentire, Agere, Loqvi.

Intellectivas virtutes det tibi SISPA. i. e. Sapientia, Intelligentia, Scientia, Prudentia, Ars.

Ut mortem vites, semper SALIGIA vites. i. e. Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Invidiam, Gulam, Iram, Acediam. Sunt septem peccata mortalia. â Scholasticis ita comprehensa.

§ 4. Porró singula hemistichia comprehendunt singula diversarum rerum argumenta, idq; vel cum rhythmo vel sine rhythmo, v. g.

Festa Immobilia per totum annum.

Sex sunt à puri: bis sex sunt usq; Philippi.
Ad Jacobum totidemq;, novem sunt ad Michaëlem.
Sex ad Martini: Sex ad Natalia Christi.
Adde dies octo, totus complebitur annus.

Decem Plagæ Ægyptiacæ.

Prima rubens unda: ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis: post musca nocentior istis.
Quinta pecus stravit: anthraces sexta creavit.
Post sequitur grando: post bruchus dente nefando.
Nona tegit Solem: primam necat ultima prolem:

§. 5. Tandem singulis versibus, aut etiam distichis argumenta rerum constringi possunt, ut in illis:

Alma Dei bonitas cœlumq; solumq; creavit.
Bis binis fluviis paradisus rite rigatur.
Calliditas serpentis Evam superatq;, necatq;.

His continentur tria priora Capita Geneseos; ubi etiam numerus Capitum exprimitur literis Alphabeti. A notat 1. B. 2. etc.

Ingreditur Christus Solymas invectus Asello;
Fronde viam spargens, vulgus Osannacanit.

Hoc distichon continet argumentum Evang. Dom. 1. Advent. Alia exempla insignia suppedi tat *Pratum Evangelicum Casparis Cunradi*, in quo continentur argumenta Evangeliorum Domi-

Dominicalium â quindecim autoribus conscripta; quemadmodum & *Memoriale Biblicum Martinii*. Spectant quoq; huc *versus memoriales de Ordine Evangeliorum: De Libris Vet. & Novi Testamenti; De differentiis quorundam vocabulorum: De cognatione: De diebus mensium: de Figuris Grammaticis, in Grammatica M. Johannis Rhenii. De Regibus populi Judaici; ut & de Regibus & Imperatoribus IV Monarchiarum in Synopsi Historiæ Universalis M. Friderici Hildebrandi* Quos omnes & multo plures L. B. hîc sub uno intuitu haberet, nisi spatium Tæchopægnio meo præscriptum excederet. De IV tamen Monarch: Imperatoribus accipiat sequentes:

I Monarchiæ Reges, qui fuerunt Assyriorum.

Assyrii Imperii procedit Conditor Assur,
Nimrodo pulso, Ninus. Semiramis Uxor,
Et Ninyas, plures alii, quorum ultimus instar
Pueri dum vixit, periit malè Sardanapalus.
Assyrius Beloch Tiglath. Salmnassar & inde.
Sennacherib, post hunc Asaraddon inde Merodach,
Regna rapit, Nebucadnezar Evilq; Merodach.
Balthasar, hoc cæso, Medus Darius, & ille
Decedens Genero Cyro Rex Sceptra relinquit.

Reges II. Monarchiæ.

quæ fuit Persarum

Cyrus, Cambyses, Hystaspis & ille Darius,
Infelix Xerxes, Longimanusq; potens.
Inde Darius adest Nothus, hinc Mnemon quoq;
Ochusq;
Regnat & Arsames post Codomannus obit.

Vel:

Cyr. Camb. Hystaspis, tum Xerxes Longimanusq;
Hinc Nothus & Mnemõ, Ochus, Arses & Codomãnus.

Reges III. Monarchiæ Græcorum.

Victor Alexander juvenis descendit ad umbras.
Scinditur Imperium bis bina in Regna reguntq;
Lajus, Seleucus, cumq; Antigono, Aridæus,
Asia & Ægyptus, Syria & Macedonia parent.
Lajo succedit Philadelphus & Evergetes.
Philopater. Epiphan. Philometor indeq; Physcon.
Lathyrus, post Auletes. Cleopatra, secundo
Quam Marte Augustus Regno exuit Induperator.
Sic Perseus Macedûm Rector Syriæq; Tigranes,
Paulo & Pompejo victi Diademata tradunt.

Imhera

Imperators IV. & Ultimæ Monarchiæ Romanorum.

Cæsar & Augustus tibi dant primordia quartæ,
Hos sequitur Tiber, Caligæ, Claudusq;, Neroq;
Galba de hinc Otto, Vitellus, Vespaq; Titus.
Dom: Nerv: Trajanusq;, Hadrianus & Antonini,
Commodus Æliades, Severus cum Caracalla.
Macrin: Helogabalus, Alexand: Maxime, Gordian.
Phil: Decius, Valer: & Galienus, Claudius, atq;
Aurel: tum Tacitus, Proba, Cara, Dioclia proles.
Constantinus: & hinc prima est divisio facta.
Julianus, Joviane, Valent: duo, Gratia Flava,
Theudosius Magnus: post altera scisso facta:
Occasum turbant, Orientem hæc sceptra gubernant.
Arcad: Theudosius, Martianus, & ambo Leones,
Zeno & Anastasius, Justi tres atq; Tiberjus,
Mauritius, Phocas, Heraclius & malè sani
Tres, Pogonatus, tum Justiniane, Philippi:
Arthemius, post Theudosius, Leo, Copronymusq;,
Hinc Leo, Const: Iren: post tertia scissio facta.
Carolus, & Ludwic, Lothar, Ludwic, bene Calvus;
Balbus, Crassus, & Arnolphus, Ludwic, Thrasybulus,
Auceps, Ottones tres, Henricusq; secundus,
Cunrad, & Henrici tres & Lotharius alter
Cunrad, Barbarossa, Henrice, Otto, Fridericus,

Cũrad, Richardus, Rudolphus, Adolphus, & Alberti
Henric, Ludwicus, Carlus, Wenzlae, Rubertus,
Sigmund, Albertus, Fridricus, Maxmilianus
Carlus, Ferdnandus, post Maximus Æmilianus,
Rudolph, Matthias, Ferdnandus deniq; Cæsar,
Et post Ferdnandum, Leopoldus sceptra gubernat
IOVA diu nobis Quem servet quæsumus omnes.

De IV. Monarchiis

ingenere:

Chaldæi
Assyrii *primum regnârunt, postea* *Medi:*
Persæ:

Post *Medos Græci: Romani*
Persas Macedo: Germãi *nunc dominantur.*

Et tantum de Mnemonicis.

CAP. XVI.

§ 1. CUBICI sunt versus quadrati, qui undiquaq; ; sibi constant, et quasi uniformes sunt. h. e. qui dextrorsum, siniſtrorsum, sursum, deorsum legi possunt. e. g.

D

D i ſ c u t e M a r t i s
i D i ſ c u t e M a r t i
ſ i D i ſ c u t e M a r t
e ſ i D i ſ c u t e M a r
u c ſ i D i ſ c u t e M a
t u c ſ i D i ſ c u t e M
e t u c ſ i D i ſ c u t e
M e t u c ſ i D i ſ c u t
a M e t u c ſ i D i ſ c u
r a M e t u c ſ i D i ſ c
t r a M e t u c ſ i D i ſ
i t r a M e t u c ſ i D i
S i t r a M e t u c ſ i D

In hoc Cubo incipiendo à litera D. ubicunq; habeo Adonicum *Diſcute Martis*. At in ſequenti initium lectionis in medio à literâ N. ſumatur & utrinq; apparebit Adonicum: *Noxia tela.*

a l e t a t e l a
l e t a i a t e l
e t a i x i a t e
t a i x o x i a t
a i x o N o x i a
t a i x o x i a t
e t a i x i a t e
l e t a i a t e l
a l e t a t e l a

§. 2.

§ 2. Potest etiam Cubus formari ex Hexametro, ut ex illo: *Te tua præcipitet ne quando lingua caveto.* Ex Pentametro, v. g. *Talis quadra boni sit tibi forma viri.* Cujus Typum vide in Shpinge Heidfeldii p. m. 1344. Ex Sapphico, cujus exemplum potest esse: *Gentis humanæ fator atq; custos.* Imo potest fieri ex omnibus carminum generibus, simodo literarum numerus & ponendi modus ritè observatur

§ 3. Sūt etiā versus quadrati complicati, ut hi duo:
Xriste Dei veterem duce te superavimus annum.
Xriste novum duce t' oramus superemus ut annum.
Hi duo versus ita complicari debent uti in Cubo Priori (Discute Martis) factum est, ita ut ab uno latere scribatur prior, ab altero posterior, & quidem ê regione, literis sibi invicem respondentibus, & in triangulis acuminatis.

§ 4. Sunt præterea versus quadrati simplices, qui integrum carmen constituunt, sed ita, ut in uno versu non sint plures voces quam in altero, quod Græci ἑξοδίκειον vocant. v. g.

Princeps Mauriti Doctorum Maxime Tutor,
Mauriti Fidei Protector Strenue Veræ
Doctorum Protector Honorum Fulgide Phœbe
Maxime strenue Fulgide Suspiciende Celebris
Tutor Veræ Phœbe Celebris Relligionis.
Christus

******

Christus deliciæ pax cordis gloria mentis
Deliciæ regnum potus fons dulcis imago
Pax potus prudentia jugis vita potestas
Cordis fons jugis proles æternaq; Patris
Gloria dulcis vita æternaq; fulgida porta
Mentis imago potestas Patris porta superma.

CAP. XVII.

§. 1. CHRONoSTICHON est carmen, vel versus in carmine, quo literæ temporales exprimunt annum currentem. Sic Treutlerus in Vaticinio Hussi:

IgnIs Corpora saCra saCrI CousVM serIt HVssI;
Post HVssVM CœCo CyCnVs In orbe CanIt.

Prior versus continet Annum 1415, quo Johannes Hussus, Martyr ille Christi, concrematus est. Posterior veró Annum 1517, eo ipso enim, ut centesimo post Hussum D. Lutherus contra Joh. Tezelium scripsit, quo tanquam fulmine Ecclesia Romana perculsa est.

§. 2. Interdum ista Chronosticha juxta annum etiam diem ipsum & mensem continēt. Sic annus 1483, quo ipso die Martini, B. Martinus Lutherus natus est, complectitur hoc Eteosticho:

Ecce

ECCe noVa VtrVtILat MartInVs LVCeLVtherI.

Item annus 1572. quo accidit laniena Parisiensis ipso die Bartholomæi eleganter hoc exprimitur Chronosticho:

BarthoLoMæVs fLet, qVIa FranCICVs occVbat AtLas.

Gallica nunc vere Punica, facta fides.

§ 3. Si autem id fit in duobus versiculis, sive in integro disticho, dicitur *chronodistichon*. e. g. Annus 1546, quo B. Lutherus diem obiit supremum, ipso die Concordiæ, evolvitur in hoc disticho:

Sparge, LVtherVs obIt, gVttas, ConCorDIa, fLetVs;

Spes tVa ReX Veræ reLLIgIonIs obIt,

Sic occupationem Stetini prævidisse Scabinum Rectorem sub initia hujus seculi Scholæ Stetinensis, eamq; prædixisse ferunt hoc eteosticho:

DefVnCtIs PatrIbVs BoreaLIs habebIt habenas, 2VIs tamen erIpIet postea Brenno tVIs.

Per Patres intelliguntur ultimi Pomeraniæ Duces: Per Brennonem Illustriss. Brandeb. Elector. Annus est 1677, quo ipso Stetinum frustra subsidiis ê Livonia expectatis, Potentissimo Electori,

Electori, vel in ultima desperatione, obsessis tolerabiles conditiones non neganti, liberas submisit cervices, masculæ laude virtutis rerum suarum non levi quæsita jactura, ut loquitur M. *Frid. Hildeb. Synop. Hist. Univers.*

Incendium illud non lacrymundum satis, quod, Anno 1677. d. 15. Augusti, misere afflixit Rostochienses, hoc Chronodistico depingitur:

PræCIpItI CeLebrIs *pars to*LLItVr VrbIs
ab IgnI
*Opt*VMa *Rosto*ChIl; *p*LangIte C*ast*aLIæ!

§4. Veteres tamen alium numerandi modum in istiusmodi versibus habebant, metra numerabilia sic formantes:

C *quater & semel* M, *duo jungito ad octoginta*.

Cujusmodi etiam est hoc:

Ingerit hæc mors se post M. *semel & quatuor* C.

Scilicet mors Friderici Ducis Brunsvicensis electi Cæsaris, quem ex insidiis occidit obrutum Episcopus Moguntinensis Anno 1400.

CAP. XVIII.

§ 1. SCHEMATICA sunt carmina quæ certum certæ alicujus rei exhibent figuram, ut poculi, crucis etc.

§. 2.

§. 2. Quia autem ut plurimum ex diversis carminum generibus componuntur, alio solent vocari nomine *Centauri poëtici*, *seu carmina Centauria*.

§. 3. Et in hoc pægnii genere Jesuitæ imprimis excellent, utpote, qui integros de eo conscripsere libros, inquibus tot ferè exhibent *lusus*, quot sunt in orbe figuræ.

§. 4. Heidfeld. in Spinge p. m. 1038. ex Chri. Becman. Orat. refert: Extat carmen valdè ingeniosum, heroicum & admirabile cujusdam Samuelis Pomarii. In eo omnia passionis Christi instrumenta, & quæ circa eandem evenerunt, ut columna, flagellum, *spinea* corona, lancea, crux, aleæ, pera, argentei, gallus, & alia non modó figuris sed etiam vocibus depicta sunt, ut initium, intermedia, finis, recta, deorsum, obliq;, inorbem, adeoq; tot modis ac vicibus legãtur, quot acumine styli hîc nuncquam deline avero. O quam vellem, me idipsum in typo aliquo subjicere oculis posse, Apelleam imaginem, veleâ pulchrius quiddam videres.

§ 5 Ego pro more consueto pauca quædam, eaq; brevia atq; levia adjiciam exempla; talia scilicet qualia chartæ *spatium* capere potest. Sit igitur

I. PO-

I. POCULVM.

O

Neonymphi,
Accipiatis
Quod dono vobis poculum
Non
Pretiosum
Aurum, nec argentum, sed est
Charta modo, Auro aſt pulchrius & melius
Propinat vobis plurima namq; bona;
Sed procul effundit quæ mala multa parant.
Felicitatem rebus in omnibus,
Auream pacem, placidamq; vitam,
Multam ſalutem corporis
Divitias & opes
Pluraq; commoda,
Vobis, ô Neonymphi,
Propinat hocce poculum.
Profundit contra mala cuncta,
Discordias, & jurgia noxia,
Et quæ vos miſeros reddere damna valét.
Vivite felices, creſcite multiplices.

II CRUX.

Pendet hîc Christus miseratq; tristis,
Et scelus nostrum luit, heu! nefandum.
O homo cerne,
Quem tua tanta
Culpa necavit,
Est Deus ipse.
En! passis manibus tibi pendens in cruce dicit:
Mors tua jam morietur; vitam tibi morte parabo.
Sãguine, quem fundo, moriẽs tua crimina tollo.
Quæ tu peccasti Patri nunc omnia solvo.
Ergo beatus,
Si modo credis,
Quæ tibi dixi.
Si dabis ore &
Pectore grates
Omnipotenti,
Pro reparatâ
Integritate.
Si tibi vita
Religiosa,
Casta, pudica,
Sancta, decora,
Justa, beata,
Charior auro.

III.

III. OVUM.

Sic
Orbis
In orbem
Volvitur ocyus
Ut nullo pede firmo
Stet, maneatq; loco,
Ut globus divertitur & rotatur,
Aut ut ovum non valet ex suapte
Erigi virtute, nec in suprema
Parte nec inferiori
Stare potest; ita sunt res
In mundo instabiles.
Omnia vana
Atq; caduca
Ut docet
Ovum.

IV. COR.

Vivite
Ad saucia
Jam medicas adhibere manus
Vos decet; ergo moras deponite; dulces
Carpite fructus dulcis amoris,
Dum licet atq; libet.
Vivite fausti,
Plaudite læti,
Vivite!

Plaudite
Pectora

V SECVRIS.

Lex Domini pandit nobis arcana Jehovæ;
Lege nil purum magis efficaxq;.
Nam nos docet recti viam,
Quâ scilicet queamus
Deum Parentem
Veneri
LEX DOMINI LUX EST, GLADIUS, MEL, REGULA VITÆ.
Secare

Legi cedat apum labor omnis, nectar & omne
Huic opum cedat pretium, & coruſca
Ophires metalla. Hic enſis eſt
Nodos docens maligni
Hoſtis potenter

IV. GLADIUS.

OMNIBUS
IMPROBIS

Saum terror, vindex crudelis, maxima poen
A trox bella gero: fratrum sanguine tinctu

VII. PYRAMIS.

De Parricidio perpetrato in Henr. IV. Galliæ Rege, qui cum Hæreticis æquo mitior videretur, â Fr. Revalliaco, extremæ dementiæ & impietatis homine, in rehda vectus, gemino ad cor illato ictu cultri, interfectus est. Anno 1609. De quo nefando facinore, habe istud, autore Hermanno Kirchnero, Eteostichum:

TrIstIa sangVIneo LILIa rore MaDent.

Quis
HicCubet
Rogas?
Henricus hic
Quartus cadit
Rex Galliæ.
Orationibus
Vacare debuit
Claustralium Chorus
Sed ecce devovent suam
Vitam, dolo nefario,
Regum trucidantes genus.
Nec vera diri causa consilî.
Zelo feruntur hem! præpostero
Ingentis - Anti Christi Romuli,
Sic interemit pars gregis monastici
Immanis Henricum securi tertium,
Submissionis opprimens operculo
Persuadet artifex grex Anti - Jesuiticus,
Et tartaro ducti novi Magister dogmatis,
Eluere conscium parantibus cauterium.
Nec sola sunt hæc gentis efferatæ parricidia.
Qeruntur attentata, nec non perpetrata pluria.
Fuam pené nuper principatus totus Anglicus perît.

VIII. CLEPPAMMIVM.

Exhibens ſtrenam Gratulatoriam.



ALIU

ALIVD.

ASPICE & ACCIPE
Cleppammium hoc chartaceum
Aréæ & vitro homo haud dissimilis est;
Quippe terra, arena, pulvis, nihil sumus.
Vitro dum utimur, frangitur;
Et homo vivendo moritur.
Defluit arena; & vita defluit.
Alterâ arenarii parte repletâ,
Evacuatur altera.
Annihilatur vita
Vivendo;
Sed morte demum recuperatur.
Verum, Dne Patrone,
Tuum vitæ horologium
Lapsu
Fluat impedito,
Nulla calamitas,
Fluxum vitæ tuæ
Obstruat, impediat, prohibeat.
Fluat, dum licet, feliciter
Sæpius, feliciusq; refluat,
Felicissimè tandem defluat.
Fluat per tot annorum fluxus,
Quot arenarium arenas continet.
Vitro firmior, clarior pulchrior purior,
Sit sanitas fama, fortuna vita tua,
Vivas! Vivas! & hoc Xeniolum
ACCIPE & ASPICE.

IX.

IX. ARBOR.

O Homo!
Qui aspicis arborem hanc,
Te ipsum simul aspicias & consideres
Miseram vitæ tuæ conditionem.
Arbor è terra crescit & assurgit altior;
Virescit, floret, fert fructus, arescit.
Homo nascitur, adolescit, senescit, moritur,
Terra interram vertitur.
Hoc docet Johannes Birnbaum
Stargardiæ natus
Stedini educatus
Nunc jacet
Hâc sub arbore.
Dum vixit,
Floruit.
Fuit arbor
Non sterilis,
Non sylvestris,
Non arida,
Non noxia;
Sed utilis,
Viridis
Fructifera.
Jam verò marcida, mortua,

X. SANDAPILA.

Omnes una manet nox,
Et calcanda, semel via leti
Nam pulsat æquis pedibus
Domus potentum & pauperum
Mors, æqua nobis omnibus.

Hinc mista senum ac juvenum densantur funera, nulli

Mors parcit; veniet, quâ non speraveris horâ.

Ergò mori

Mement O.

Hodiè mihi

Cras tibi

XI. ROTA.



Alias & multo plures possem exhibere figuras; Potuissem etiam reliqua adjicere carminum genera, ut *Genethliaca*, *Onomastica*, *Epithalamia*, *Epicedia*, *Epitaphia*, *Odas &c.* Verum animus non est tantæ molis opus conscribere; Siquidem, num istæc mea opera Lectori grata sit futura, non dum calleo. Certior autem de eo factus nec laborem nec sumtus reformidabo imposterum. Coronidem itaq; huic impono Te-

SYM-

chnopægnio, quam esso volo

SYMBOLA,

Unius cujusq; Imperatoris Romani,

A

CAJO JULIO CÆSARE

usq; ad

LEOPOLDUM

Hodie per DEI gratiam sceptra tenentem.

A

Meis Discipulis exercitii Metrici gratiâ versibus inclusa.

I. CAJI JULII CÆSARIS:

Semel quam semper.

Nonne mori semel est satius, quam semper iniquo
Torqueri mortis perfidiæq; metu?

Horat. l. 1. Epist. IV. ll.

Inter spem, curamq;, timores, inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.

II. OCTAVI AUGUSTI.

Festina lentè.

Qui nimium properant absolvunt segnius; Ergò
Festina lentè: Sat citò, si benè sat.

Seneca

Seneca Act. II. Agamem:

Proin quicquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequit, sæpè sanavit mora.

III. TIBERII:

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.

Detondere pecus fas est, deglubere non est;
Nam malus hoc pastor, sed bonus illud agit.

Alius:

Est tondere pecus, boni
Pastoris, haud deglubere.

IV. C. CALIGULÆ:

Oderint dum metuant; Omnia mihi & in omnes licet.

Dum metuant, odisse licet, vox sæva tyranni
Esse solet, sibi qui cuncta licere putat.

Seneca Act. III. Oedip.

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes: metus in auctorem redit.

Claudi IV. Const: Honor:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

V. TIB. CLAUDII DRUSI.

Virtus generis nobilitas.

Insigni virtute decet, non sanguine niti;
Virtus, non sanguis, nobilitas generis.

Amant

Amant. ad Raimundum Fugerum:

Nobilis est solus virtute insignis & arte;
Virtus nobilibus clarior una viris.

Juvenalis VIII:

Tota licet vetres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est atq; unica virtus.

VI. DOMITII NERONIS:

Artem quævis terra alit.

Artem, crede mihi, quævis alit ubere terra:
Artifici docto gloria semper erit.

Muretus, ad Fratris Fil:

Disce libens, quid dulcius est, quam discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

VII. GALBÆ:

Miles legendus, non emendus.

Non sine dispectu studioso miles emendus,
Fortia sed benè sunt corda legenda tibi.

Claudianus: IV. Cons. Honor.

Si bella tonant prius agmina duris
Exerce studiis, & sævo præstrue Marti.

VIII. SALV: OTHONIS:

Unus promultis

Pro multis caput est melius si traditur unum,
Quam miserè totus dispereat populus.

Virg.

Virg. l. V. Æn:

Unum pro multis dabitur caput.

IX AULI VITELLII:

Optimè olet occisus hostis, melius civis.

Occisi sanguis (vox est crudelior) hostis
Optime olet, civis sed melius redolet.

Juvenal. XVI.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte tyranni.

X. FL. VESPASIANI:

Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Juvenal. XIV.

Est odor ex quâvis re lucri gratus avaris,
Sit licet ex turpi re quoq; turpe lucrum.

Horat. IV Carm. XII.

Verum pone moras, & studium lucri,
Nigrorum memor dum licet ignium.

EJUSDEM:

Stantem Imperatorem mori decet.

Vivere pro regno, regnum defendere, Regem,
Prog; suo populo stare moriq; decet.

Seneca. Act. l. Med:

Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies:

Pro

Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.

XI. T. VESPASIANI:

Princeps orbis amor bonus.

Est bonus, orbis amor Princeps, cui splendida cordi
Est pietas, pietas est bonus orbis amor.

Seneca Thyest: Act. III. Chor:

Nulla vis major pietate verâ est.
Jurgia externis inimica durant:
Quos amor verus tenuit, tenebit.

XII. FLAV. DOMITIANI:

Fallax bonum regnum.

Esse bonum fallax regnum tot regna probarunt
Lapsu fatali regna ruêre ruent.

Seneca Act. I. Oedip:

Quisquamne regnogaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis.

XIII. COCCEJI NERVÆ:

Mens regnum bona possidet.

Possidet ille bonum cui mens benè conscia regnum,
Rexq; potens est qui vincere se potuit.

Seneca. Act. II. Chor. Thyest:

Mens regnum bona possidet,
Rex est qui metuit nihil.
Rex est quiq; cupit nihil.
Hoc regnum sibi quisq; dat.

XIV.

XIV. M. uLP: NERVÆ TRAJANI:

Qualis Rex, talis grex.

Qualis Rex talis grex est: cognoscere mores
Vis populi? mores Principis inspicias.

Claudianus I stil:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum;
Utq; ducum lituos sic mores castra sequuntur.

EJUSDEM:

Talis Imperator ero privatis quales esse
Mihi Imperatores privatus optavi.

Privatus quales optasti vivere Reges,
Talis privatis Induperator eris

XV. ÆLII. ADRIANI:

Non mihi sed populo.

Non sibi sed populo regnat bonus Induperator;
Ergò malus, regnat qui sibi non populo.

Claud. IV. Cons. Honor:

Tu civem patremq; geras: tu consule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moveant, sed publica vota.

XVI. ANTONII PII:

Civem unum servare malo, quam mille hostes perdere.

Pastorem servare decet non perdere gentem;
Hostes non cives perdere Rex cupiat.

Se

Seneca Act. II. Octav:

Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.
Servare cives major est patriæ patri.

XVII. M. ANTONII PHILOS:
Regni clementia custos.

Pernicies furor est regni, clementia custos:
Crudelem Dominum tristia fata manent.

Seneca Act. II. Tro:

Violenta imperia nemo continuit diu:
Moderata durant.

XVIII. L. VERI:
Nihil obiter.

Quæ facies obiter, succedent tardius; ergò
Omnia fac studio, nil facias obiter.

Publius Syrus:

Exerce studium, quamvis perceperis artem,
Ut Cura ingenium, sic & manus adjuvat usum.

XIX. L. COMM. ANTONII:
Pedetentim.

Neu nimis aut celeres, nimis aut tardes: pedetentim
Procedas, studio, quæ facies, facias.

And. Alciat. Emblem. XX.

Maturare jubent propere, & cunctarier omnes,
Neu nimium præceps, neu mora longa nimis.

XX.

XX. HELVII. PERTINACIS:

Militemus.

Militat omnis amans: Reddit certatio palmam;
Ut vincat Christi militat omnis amans.

Ovid. Epist. Paridis ad Helenam:

Certamen præmia magna movent.

XXI. M. DIDII JULIANI:

In pretio pretium.

In pretio pretium latitat: qui munera præbent
Pauperibus, capient ex pretio pretium.

Ovid. I. Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper ubiq; jacet.

XXII. SEPTIMII SEVERI:

Laboremus.

Non cessare potest: juvat indulgere labori,
Quem rotat injuncti circulus officii.

Tibullus:

Non te pœniteat duros subiisse labores,
Aut operi assuetas attenuasse manus.

XXIII. PERSCENNII NIGRI, SEVERI

Æmulatoris:

Vivus ego placere volo laudari mortuus.

Ut placeas vivus, vivas, ut mortuus idem
Lauderis, solers sit tibi cura mori.

Pro

Propertius L. 3. Eleg:

Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

XXIV. ANT: BASSI: CARACALLÆ:
Omnis in ferro salus. *Senec. Hercul. Act II.*

Omnis in ense salus sit mundo, sit vel in auro,
Aut in honore; mihi sis mea, Christe, salus.

Virgil. l. II. Æn:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

XXV. GETÆ CARACALLÆ Fratris:
Nulla fides regni.

Nulla fides regni: Regnorum maxima regna
Mox destructa jacent; Cœlica regna manent.

Lucanus, l. Pharſ:

Nulla fides regni sociis: omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

XXVI. OPILII MACRINI:
Ferendum ac sperandum.

Spes grave lenit onus, patientia sublevat, ergo
Dum spiras, speres, atq; ferenda feras.

Publ. Syrus;

Cujus vis doloris remedium est patientia.
Feras, non culpes, quod vitiari non potest.

Vid etiam p. 35. O. 24. Hor. l. I.

XXVII.

XXVII. VARII ANTO: HELIOABALI:

Suus quisq; hæres proximus:

Est sibi quisq; suus natura proximus hæres;
At vero Dominus non sibi quisq; suus.
Terent. Andr. Act. II. Sc. 5.

Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet;
Omnes sibi melius malle esse, quam alteri.

XXVIII. ALEXANDRI SEVERI:

Quod tibi, hoc alteri.

Omnis homo sibi vult bene, sed malè vult sibi nullus;
Quod fieri tibi vis, hoc aliis facias.

Alius:

Quod tibi vis fieri vicino feceris æq.

XXIX. JULII MAXIMINI THRACIS:

Quo major hoc laboriosior.

Arduus assiduo non est honor absq; labore:
Magnus honor magno pondere portat onus.
Ovid. 3. Art. Amand.

Ardua molimur: sed nulla nisi ardua vincunt;
Difficilis nostra poscitur arte labor.

XXX. GORDIANI Patris:

Omnis vita supplicium.

Longa quid est, quid vita brevis, quid mors cita, sera?
Vivere supplicium, supplicium q; mori.

Longin: Maximinus:

O quam dura premit miseros conditio vitæ!
Nec mors humano subjacet arbitrio!

XXXI GORDIANI Filii:

Pro patria mori pulchrum

Vivamus patriæ, patriæ moriamur iidem;
Pro patria dulce est vivere, dulce mori.

Vide supra p. 44. & 45.

XXXII. MAXIMI PUPIENI:

Qui timetur, timet.

Qui terret, plus ipse timet, timeatur ut ipse;
Crudelem Dominum quisq; perire cupit.

Publ. Syrus:

Multos timere debet, quem multi timent.

XXXIII. BALBINI:

Bonis nocet, qui parcit malis.

Castigare malos tibi sit non ultima cura:
Namq; malis parcens sæpe bonis nocuit.

Horat. l. Serm. 3.

Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

XXXIV. GORDIANI:

Princeps miser, qnem latet veritas.

Si felix quicunq; potest cognoscere verum,
Is verè verum quem latitat miser est.

Plaut.

Plaut. Most:

Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendacem odi.

XXXV. M. JULII PHILIPPI ARABIS:

Malitia regno idonea.

Subdola sublimi fallacia regnat in aula;
Utilis imperio dicitur improbitas.

Seneca Act. II. Thyest:

Instabile regnum est, ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides.

XXXVI. Ejus Filii:

Multa nec apta.

Improba garrulitas effutit multa nec apta;
Vir prudens studeat pauca sed apta loqui.

And. Alci: Embl. XI.

Cum tacet, haud quicquam differt sapientibus amens,
Stultitiæ est index linguaq; voxq; suæ.

XXXVII DECII:

Apex Magistratus auctoritas.

Dignus honor dignos decet, est reverentia Patris,
Estq; Magistratus, est Senioris apex.

Alius:

Omnis Magistratus apex
Regis, Ducis, vel Principis
Autoritas est debita.

XXXVIII. Ejus Filii:

Fugitivo nulla corona.

Gloria victori.; fugitivo nulla corona est;
Vivere, non adèo vincere vult timidus.

Virgil. l. 4. Æn:

Degeneres animos timor arguit.

XXXIX. VIBII GALLI:

Nemo amicus idem & adulator.

Ladit amicitiam, qui crimina laudat amici;
Nullus adulator verus amicus erit.

Antol. Sacr. Jacob. Bill:

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine laude ligat.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cœca venena sinat.

XL. Ejus Filii VOLUSIANI:

Non sine vano publica fama

Si non esse solet sine vano publica fama,
Cur homo quæ dicit publica fama negat?

Virg. l. 4. Æn:

Fama malum quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo etc.
Tam ficti pravi q; tenax, quam nuncia veri.

XLI.

XLI, ÆMYLII ÆMYLIANI:

Non gens, sed mens.

Non gens nobilitat, sed mens: non sanguis avorum
Sed virtus animi, est nobilitatis apex.

Lucan. ad Pis:

Perit omnis in illo
Nobilitas cujus laus est in origine sola.

XLII. SALONINI VALERIANI, Tyranni:

Magnum satellitium amor.

Forte satellitium favor est, favor omnia firmat,
Servetur, servet Rex, ut ametur, amet.

Ovid. 2. Art. Amandi:

Sit procul omne nefas: ut ameris amabilis esto.

XLIII. JUNII CASSII, Tyranni:

Audentes fortuna timet.

Audentes fortuna timet, quin adjuvat; ergo
Ne cedas: forti pectore cuncta feras.

Virgil. l. VI. Æn.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.

XLIV. LICINII VALERIANI:

Non acerba sed blanda.

Blanda time blandi, non aspera verba monentis,
Sæpè sub oblato melle venena latent.

Publ. Syrus:

Amici vitia si feras, facis tua.

XLV. P. LICINII GALLIENI:

Propè ad summum, propè ad exitum.

Ne nimis alta petas, ad summum qui prope venit,
Est propè ad exitium; ne nimis alta petas.

Lucanus:

Summisq; negatum
Stare diu; nimioq; graves sub pondere lapsus.

XLVI. FLAVII CLAUDII:

Rex viva lex.

Est populi lex viva sui Rex, Regis ad acta
Legis ut ad normam, plebs sua facta regit.

Claud. IV. Cons. Honor:

Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

XLVII. QVINTILLI:

Honesta mors honesta turpitudo.

Quid mortem fugimus, si turpem præstat honesta
Mors vitam? mortis dedecus effugias.

Claud. de Bello Gildon:

Nonnè mori satius, vitæ quam ferre pudorem?

XLVIII. VAL. AURELIANI:

Quó major, eò placabilior.

Quo

Quò tu major, eò magis & placabilis esto:
Parcito sic aliis, ut Deus ipse tibi.
Ovid. Trist. l. 3. Eleg. 5.
Quo quisq; est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

XLIX. CLAUDII TACITI:

Sibi bonus, aliis malus.

Qui sibi non aliis bonus est, malus ille putandus,
Ut bonus ille, sibi qui bonus ac aliis.
Terent. Adelph. A. 1. 2.
Homine imperito nunquam quidquam injustius,
Qui nisi quod ipse facit nihil rectum putat.

L. FLORIANI.

Injuria unius, minæ multorum.

Uni qui fuerit, multis injurius esse
Creditur, unius noxa minæ reliquis.
Terent. in Hecyr: Act. 5. Sc. 1.
Offerre injuriam alicui immerenti, iniquum est.
Injuriæ impunitas periculosa.

LI. AURELII PROBI:

Pro stipe labor.

Est mercede labor dignus, sed digna labore
Est merces; miles pro stipe bella gerat.
Horat. 1. Serm. 9.
Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

LII. M. AURELII CARI:

Bonus Dux, bonus Comes.

Si dux ipse bonus, bonus est comes; ergò magister
Debet discipulis dux bonus esse suis.

Ovid. l. 3. Fast:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet ipse facit.

LIII. NUMERIANI:

Esto quod audis.

Vis audire quod es, vel si vis esse quod audis,
Virtuti studeas; hæc finit esse quod es.

Alius:

Quod potes esse velis, quod non potes esse relinque;
Quippe juvante Deo quod licet esse potes.

Horat. l. 1. Epist. XVI.

Tu rectè vivis, si curas esse quod audis.

LIV. CARINI:

Cedendum, multitudini.

Cedendum multis: Unum compescere multos
Difficile est; Si vis vincere vince pares.

Homerus Odyss:

Accerset mox ipse sibi crudelia fata,
Si multis pugnare velis.

LV. DIOCLETIANI JOVII:

Nihil difficilius est, quam benè imperare.

Res

Res bona difficilis: bona res regnare decenter;
Hinc rem difficilem qui bene regnat agit.

Publ. Syrus:

Malè imperando summum imperium amittitur.

LVI. AUREL. MAXIMINIANI:

Melius mori quam sibi vivere.

Qui sibi sunt nati, sibi possunt vivere; natus
Nemo sibi: debet vivere nemo sibi.

Alius:

Vive Deo, non vive tibi; sibi vivere soli
Mortis opus; viva est vivere vita Deo.

LVII. CONTANTINI CHLORI:

Virtus dum patitur vincit.

Ardua si premitur, consurgit, palma; perindè
Dum patitur virtus, vincit & erigitur.

Alius:

Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur; si vis vincere disce pati.

LVIII. GALERII MAXIMIANI.

Tutum silentii præmium.

Multa audi: dic pauca: tace abdita: disce minori
Parcere: majori cedere: ferre parem.

Ovid. 2. Art. Amandi:

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Vid. p. 45. infin:

LIX. SEVERI.

Semen Ecclesiæ sanguis piorum.

Sanguine Christiadum rorans Ecclesia sancto,
Sanguine clarescit; semina sanguis habet.

Alius.

Sanguine fundata est Ecclesia: sanguine crevit:
Sanguine succrevit: sanguine finis erit.

LX. MAXIMINI:

Marcet sine adversario virtus.

Virtus marcescit, quam non premit invidus hostis;
Infelix in quem nil habet invidia.

Publ. Syrus:

Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.

LXI. LICINII:

Pestis reipublicæ literæ.

Qui litteras regni pestem vocat, errat, & usum
Illarum nescit; Sunt decus imperii.

Ovid 3. Art. Am:

Scilicet ingenium placidâ mollitur ab arte,
Et studio mores convenienter eunt.

LXII. MAXENTII:

Phryx plagis emendatur.

Peocedunt asini, costas cum verbera cudunt;
Stultus Phryx duro verbere corrigitur.

Hor. l. 1. Ep. 1.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Vid. p. 76. ab initio. LXIII.

LXIII. CONSTANTINI M:

Immedicabile vulnus ense recidendum.

Principiis obsta, prius immedicabile vulnus
Ferro rescindas, quam ferat exitium.

Ovid. Metamorph l. 1. Fab. 8.

Cuncta prius tentanda; sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

LXIV. CRISPI:

Homo, non homo, iratus.

Non homo, sed canis est, leo, serpens, bestia quævis,
Iracundus homo, pectore sæva gerens.

Ovid. 3. Art. Am:

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

LXV. CONSTANTINI:

Difficilia quæ pulchra.

Omnia pulchra placent; sed pulchra labore parantur
Pulchra quidem virtus, sed quoq; difficilis.

Ovid. 2. Pont. 2.

Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus.

LXVI. CONSTANTIS:

Crescente superbiâ, decrescit fortuna.

Perfida decrescit fortuna, superbia quando
Crescit. Præcipitat cuncta superba DEUS.

Man

Mantuanus de Calamit:

Scilicet omne Deo contra nitente superbum
Evanescit opus.

LXVII CONSTANTII:

Patiens sit Principis auris.

Judicis atq; boni patiens sit Principis auris,
Audiat ut causas fontis & innocui.

Alius:

Clausa sit una auris, sit Principis altera aperta;
Hæc pateat justis, clausa sit illa malis.

LXVIII. MAGNENTII:

Pudor juveni decus, seni dedecus.

Si pudor atq; rubor virtutis robur habetur,
Si juveni decus est, dedecus haud senibus.

Seneca Agam. Act. II.

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.

LXIX. JULIANI APOSTATÆ:

Pennis suis, ferire grave.

Arte suâ, pennisq; suis, armisq; feriri,
Est grave, nec quicquam turpius esse potest.

Alius.

Sæpe sibi proprium fecit puer ipse flagellum.

LXX JOVIANI:

Scopus vitæ Christus.

Si scopus est vitæ Christus, fideiq; viæq;
Felix, non fallax est via, vita, fides.

Pau

Paulin. Epist.

Hic (Christus) veritatis lumen est, vitæ via,
Vis, mens, manus, virtus Patris,

LXXI. VALENTINIANI:

Princeps servator justus.

Est justus princeps populi servator & æqui;
Is, benè qui regnat, servat utrumq; benè.

Ovid. 5. Trist. 8.

Sed cedit viribus æquum,
Victaq; pugnaci jura sub ense jacent.

LXXII. VALENTIS:

Alienus ab ira, alienus â justitia.

Ne nimis iratus nimis & placabilis esto:
Tempore sis justo durior ac facilis.

OWenus:

Qui temerè & præceps rabidas exarsit in iras,
Excedet semper limina justitiæ.

LXXIII. GRATIANI:

Non quam diu, sed quam bene.

Non quam tute diu, sed quam bene vixeris, esto
Cura tibi Juveni, gloria lausq; seni.

Long: Maximian:

Turpe seni vultus nitidi, vestesq; decoræ;
Atq; etiam est ipsum vivere turpe senem.

LXXIV. VALENTINIANI II.

Amicus veterrimus optimus.

Non

Non temerè expellas fidum quem noris amicum.
Optimus antiquus semper amicus erit.

Alius:

Calles antiquos serves veteres & amicos.

LXXV. MAXIMI:

Nunquam periculum sine periculo vincitur.

Non sine majori permagna pericla periclo
Vincuntur; Laudis per mala facta via est.

Terent. Heaut. Act. 2. Sc. 2.

Nunquam sit sine periculo facinus magnum,
& memorabile.

LXXVI. THEODOSII.

Eripere telum, non dare irato decet.

Eripere irato telum, non tradere fas est;
Eripis ê leto † tela cui eripies.

† *Telum* per anagr. *Letum.*

Horat. 1. Epist. 2.

Ira furor brevis est. Animum rege, qui, nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

LXXVII. ARCADII:

Summa cadunt subito.

Summa cadunt subito; Deus ipse superba refringit,
Ponit humi tumidos, tollit humo timidos.

Claudianus;

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

LXXVIII

LXXVIII. HONORII.

Male partum malè Disperit.

Omnia sic pereunt bona quæ male parta fuerunt;
Concidit ut moles quæ malè fixa fuit.

Alius:

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

LXXIX. THEODOSII. II.

Tempori cedendum.

Tempori, & ancipiti fortunæ cedere, fas est;
Qui pugnat contra fallitur atq; cadit.
Ovid. 1. Rem. Amt.
Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

LXXX. VALENTINIANII. III.

Omnia mea mecum porto

Quæ mea sunt mecum, non mecum quæ mea non sunt
Porto; decus, virtus, ars, mea sola manent.
Senec. Octav:
Sola perpetuò manent,
Subjecta nulli, mentis atq; animi bona.

LXXXI. MARTIANI:

Regis clementia virtus.

Absit sævities: Regis clementia virtus:
Illa nefas; decet hæc, hæc juvat illa nocet.

Terent

Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 4.

Reipsâ repperi,
Facilitate nihil homini esse melius, neq; clementiâ.

LXXXII. LEONIS JUN:

Fide & diffide.

Fide bonis, diffide malis, tibi fidere noli;
Fide Deo: mundo fidere, falsa fides.

Virgil. l. 4. Æn.

Nusquam tuta fides. vide etiam p. 91.

LXXXIII. ZENONIS:

Malo nodo malus cuneus.

Durior est duro cuneus quærendus; acerba
Verba quadrant verbis, verbera verberibus.

Ter. Andr. Act. 5. Sc. 5.

Si mihi pergit, quæ vult dicere: ea, quæ non vult audiet.

LXXXIV. ANASTASII DICORI:

Mellitum venenum blanda oratio.

Mellitum, credas, oratio blanda venenum est;
Verbis sub blandis sæva venena latent.

Alius:

Manè salutatrix quoties tibi lingua sodalis
Dicit ave, resonant interiora cave.

LXXXV. JUSTINI:

Cujus pudet, pigeat.

Quod piget hoc pudeat; virtutis flosculus ipse
Disperiit, periit si rubor atq; pudor. Plaut

Plaut. Pseud:

Nimiò quod pudet facilius fertur, quam id quod piget. & Alius.

Virtutis florem perdis perdendo ruborem.

LXXXVI. JUSTINIANI:

Summum jus, summa injuria.

Ne sit jus summum, ut dicunt, injuria summa,
Jus vires justo temperet omne suas,

Ter. Heaut. Act. 4. Sc. 5.

Jus summum sæpe summa malitia est.

LXXXVII. JUSTINI II:

Libertas res inæstibimabilis.

Libertas res est fulvo pretiosior auro.
Omnibus & gemmis anteferenda maris.

Alius:

Non benè pro toto libertas venditur auro.

LXXXVIII. TIBERII II:

Stips pauperum thesaurus divitum.

Pauperibus quicunq; stipem largitur amicè
In cælo æternas conciliabit opes.

OWenus:

Nullum majus erit lucrum, quam pascere egenos
Fœnore nam grandi centupla dona feres.

LXXXIX. MAURITII:

Quod timidum idem crudele.

Præstat amor metui; timidum crudele putatur;
Ergo metum studeas ut comitetur amor.

Mart. 15. 59.

Res est imperiosa timor.

XC. PHOCÆ:

Fortunam citius reperias quam retineas.

Est fortuna fugax, vaga, mendax: hanc reperire,
Tu citius poteris, quam retinere tibi.

Lucanus.

Fors incerta vagatur,
Fertq; refertq; vices, & habent mortalia casum.

XCI. HERACLII:

ADeo Victoria.

Victurus, venerare Deum, victoria namq;
Ipsius justo pendet ab arbitrio.

Virgil. l. 12. Æn.

Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet & fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, & quod vergat pondere letum.

XCII. CONSTANTINI. III.

Hilaris insania voluptas.

Temne voluptates: insania læta voluptas;
Cui si cedes, sponte furore cades.

OWenus:

Vis fieri felix, est debellanda voluptas:
Hæc juvenum exitium est, pestis & illa senum.

Ho-

Horat. 1. Ep. 2.

Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.

XCIII. HERACLEONÆ:

Mali principii malus exitus.

Incipe, quicquid agas, benè nam benè cepta secundat
Ipse Deus, male sed quæ malè cæpta, cadent.

Alius:

Gratia principiis semper respondet honestis.

XCIV. CONSTANTIS II:

Parendum necessitati.

Quod facere est, facito, ferto, quod ferre necesse est;
Cedendum, quoties vis violenta premit.

Joseph. Scalig. in Jamb. gnom:

Ad moliendum maximè efficacior
Necessitatis norma, quam virtutis est.

XCV. CONSTANTINI. IV:

Quod citò fit, citò perit.

Ut citò fulgor abit citò qui per nubila currit,
Sic quoq; quæ citò fit res citò sæpè perit.

OWenus:

Nemo repente bonus: lentè properare memento:
Virtutis quamvis ingrediare viam,
Utile consilium fit inutile festinanti.
Collige primo animum, corrige deinde, tuum.

XCVI. JUSTINIANI II:

Multi nimium nemo satis.

Nullus habet nimium nimium licet accidat auri
Multis; sunt pauci qui satis æris habent.

OWenus:

Pauper in orbe parum, mendicus nil habet usquam;
Dives habet nimium, quis, nisi nemo, satis?

XCVII. LEONTII:

Pulchra est concordia cordis & oris.

Talis in ore sonus, qualis in pectore sensus.
Congrua temperies cordis & oris erit.

Alius:

Odi etenim ceu claustra Erebi, quicunq; loquuntur
Ore aliud tacitoq; aliud sub pectore volvunt.

XCVIII: ABSIMARI:

Nimium boni nihil mali.

Nemo boni nimium faciens facit inde mali quid;
Sæpe mali nimium nil faciendo facis.

Juven. 13.

Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

XCIX. PHILIPPICI BAD:

Fortuna cito reposcit, quod dedit.

Ut pueri modo dant, modo quæq; dedere reposcunt;
Sic fortuna, dedit quæ modo, mox repetit.

Ovid 3. Trist, 7.

Nempè dat, & quodcunq; libet fortuna, rapitq;:
Irus & est subitò qui modo Cræsus erat

C,

C. ARTEMII:

Si non das, accipit ultro.

Regi, quæ debes, si non das, accipit ultro;
Regi, quæ Regis, redde: Deoq;, Dei.

Stigelius:

Jus, quid in ambiguo Phariſæi quæritis ære?
Sunt ſua Principibus, ſunt ſua danda Deo.

CI: THEODOSII. III:

Patientia remedium malorum.

Perfer & obdura: durum patientia vincit;
Rebus in adverſis eſt medicina potens.

Ovid. l. Ult. eleg. 10.

Perfer, & obdura, dolor hic tibi proderit olim:
Sæpè tulit laſſis ſuccus amarus opem.

CII. LEONIS ISAURI:

Occulti inimici peſſimi.

Sæpe nocere poteſt inimicus amicus amico;
Peſſimus occultus dicitur hoſtis, & eſt.

Ovid. 1. Art. Am:

Tuta frequensq; via eſt, per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet ſit via, crimen habet.

CIII. CONSTANTINI. V:

Quid ſine pectore corpus?

Non umbræ corpus: non ſunt cereviſia ſpumæ;
Nil ſine magnanimo pectore corpus habet?

Ovid. 6. Fast.

Aufert vires corporis ipse timor.

CIV. LEONIS. IV:

Quo Fortuna si non uteris?

Quo fortuni tibi, si non utaris eâdem;
Non aurum, justus sed beat usus opum.

Plaut Pseud:

Ut quisq; fortunâ utitur,
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus

CV. CONSTANTINI. VI.

Mulieri imperare res desperata.

Bellua mansuescit crudelis, sed mulierem
Res desperata est velle domare malam.

OWenus:

Conjugis ingentes animos, linguamq; domare,
Herculis est decimus tertius iste labor.

CVI. IRENES AUGUSTÆ:

Vive, ut vivas.

Sic vive, ut possis â funere vivere, disce
Ut potiare pati, ne moriare mori.

Alius:

Bis vivit, benè qui vivit, nam præmia vitæ
Præsentis pietas atq; sequentis habet.

CVII. CAROLI M:

Christus regnat, vicit, triumphat

Regi

Regnat, convicit, regit, imperat, atq; triumphat
Rex Christus, cui sit gloria, laus & honor.

OWenus:

Venit in hunc mundum: vidit mortalia, mortem
Vicit, & ad superos in sua regna redit.

CVIII. LUDOVICI PII:

Omnium rerum vicissitudo. Ter. Eun. A. 2. S. 2

Gaudia post luctus remeant, post gaudia luctus:
Alternis vicibus spesq; metusq; venit.

Taubm. l. 1. Eleg:

Jubila post fletum surgunt post nubila Phœbus;
Nempè per alternas sors amat ire vices.

CIX. LOTHARII. I.

Ubi mel ibi fel.

Vix sine melle fel est, ubi mel fel ibi quoq; præsto est;
Et mel apes dulce, & spicula cæca gerunt.

Virgil. l. 4. Georg:

Illis (apibus) ira modum supra est, lesæq; venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt,
Affixæ venis, animasq; in vulnere ponunt.

OWenus:

Qui te plus solito demulcet carmine blando,
Te capere insidiis nititur ille suis.

CX. LUDOVICI. II:

Par sit fortuna labori.

Par

Par sit fortunæ labor, & fortunæ labori;
Hic juvat hanc, istum hunc sed juvat illa m
Ovid. 2. Pont. 3.
Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est.

CXI. CAROLI II. CALVI:

Justitiam injustitia parit.

Cum justus judex injusta piacula punit,
Sæpe fit injustum justitiæ genetrix.
Hor. 1. Serm. 3.
Iura inventa metu injusti fateare necesse est;
Tempora si fastosq; velis evolvere mundi.

CXII. CAROLI III. CRASSI:

Os garrulum intricat omnia.

Nil melius linguâ, linguâ nîl pejus eâdem;
Nam moderata juvat, garrula lingua nocet.
Ovid. 2. Art. Am. 2.
Quis minor est autem quam tacuisse labor?

CXIII. ARNULPHI.

Facilis descensus averni.

Difficilis cæli ascensus, descensus averni
Est facilis; multis hinc via lata placet.
Virg. l. VI. Æn:
Facilis descensus averni:
Noctes atq; dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

CXIV.

CXIV. LUDOVICI. IV.

Multorum manibus, paucorum consiliis.

Multorum manibus si quid facis utere, si quid,
Paucorum, reputas, utere consiliis.

Alius:

Multorum manibus mox relevatur onus.

CXV. CONRADI. I.

Fallit cum blanditur fortuna.

Cum fortuna tibi blanditur, fallere quærit;
Sors levis, & certam vix habet illa fidem.

Publ. Syrus:

Fortuna cum blanditur captatum advenit.

CXVI. HENRICI:

Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.

Sis tardus vindex, vindictâ fœmina gaudet;
Masscula mens velox ad benefacta magis.

Ovid. 1. Pont. 5.

Sit piger ad pœnas princeps ad præmia velox:
Quisq; dolet quoties cogitur esse ferox.

CXVII. OTTONIS M.

Aut mors aut vita decora.

Malo mori potius, vita quam ferre pudorem;
Aut mors pulchra mihi aut vita decora placet.

Plaut. Rud.

Melius morte in malis rebus nihil est.

CXVIII. OTTONIS II.

Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.

Cum vitiis bellum, pax cum mortalibus ut sit
Cures, sed tecum sit tibi pax caveas.

Ovid. l. 3. Art. Am.

Pertinet ad faciem, rabidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.

CXIX. OTTONIS III.

Virtus unita valet.

Vis unita valet; socio concordia vinclo
Pectora quæ jungit, vincere nemo potest.

Publ. Syrus.

Discordia sit carior concordia:
Auxilia humilia, firma consensus facit.

CXX. HENRICI. II.

Nequid nimis.

Omne quod est nimium, vitiosum est: Respice, nequid
Ergò nimis; Medium qui tenet apta tenet.

Ter. And. A. 1. S. 1.

Id arbitror
Adprimè in vita esse utile, ut nequid nimis.

CXXI. CONRADI. II.

Omnium mores, tuos imprimis observato.

Alterius cernas, caveas reprendere mores:
Observans alios, noveris ipse tuos.

Ove-

OWenus;

Netua contemnas, aliena negotia curans;
An tibi te quisquam junctior esse potest?

CXXII. HENRICI. III.

Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

Si lis aufertur, maledictio tollitur, atq;
Mutantur voces in bona verba malæ.

Anthol. Sacr. lac. Billii:

In rixis gravibus nonnunquam cedere præstat,
Quam nimium niti, victor ut esse queas.

CXXIII. HENRICI. IV.

Multi multa sciunt, se autem nemo.

Multi multa sciunt, nemo sibi cognitus ipsi:
Est sapiens verè seq; Deumq; sciens.

OWenus:

Crimina qui cernunt aliorum, nec sua cernunt,
Hi sapiunt aliis, desipiuntq; sibi.

CXXIV. HENRICI. V.

Mortem optare malum, timere pejus.

Est optare malum mortem, pejusq; timere;
In manibus Domini vitaq; morsq; mea.

OWenus:

Quod nequeas vitare fugis? mors omnibus instat,
Nec formidanda est, nec fugienda tibi.

CXXV.

CXXV. LOTHARII. II:

Audi alteram partem.

Ne temerè absolvas, nec quenquam crimine damnes,
Alterius causam nî prius audieris.

Senec. Med. Act. 2.

Qui statuit aliquid parte inauditâ altera;
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

CXXVI. CONRADI. III.

Pauca cum aliis, tecum multa.

Tecum multa putes, aliis cum pauca loquaris;
Garrulitas linguæ crimina multa parit.

Hor. l. Ep. 18.

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures:
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

CXXVII. FRIDERICI. I.

Qui nescit dissimulare, nescit inperare.

Fallitur ad votum qui cuncta cupit: malè regnat,
Interdum quisquis dissimulare nequit.

Taubm. lib. Epic. Schediast.

Porro, ferre aliquid, & connivere memento:
Nec semper vidisse puta, quæ videris. Esto
Interdum surdaster, apro si pressius audis.
Fallitur ad votum, qui cuncta expectat & urget.

CXXVIII. EJUSDEM.

Præstat uni probo, quam mille improbis placere.

Non

Non quot te laudent, sed qui, bene respice; præstat
Namq; probo uni, quam mille placere malis.

OWenus:

Omne genus laudis turpi vilescit in ore;
Vera boni & docti laus solet esse viri.

CXXIX. HENRICI. VI:

Qui tacere nescit, nescit loqui.

Nescit rite loqui, qui nescit rite tacere;
Dicere, non minus est, quam tacuisse, decus.

OWenus:

Vis sapiens dici, raro & meditata loquare:
Sæpe loquax verbis proditur ipse suis.

CXXX. PHILIPPI. II:

Satis recurrere, quàm malè currere.

Est satius retulisse pedem, quam si male pergas
Currere; deflectis? regrediare citò.

Luciani Senarius:

Πάλιν δραμῆται μᾶλλον, ἢ δραμεῖν κακῶς.

CXXXI. OTTONIS. IV.

Inter strepit anser olores,

Garrulus ut dulces inter strepit anser olores,
Sic inter vates sæpe poëta malus.

Virgil. Ecl. IX.

Et me fecere poëtam
Pierides: sunt & mihi carmina: me quoq; dicunt
Vatem

Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neq; ad huc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos strepere anser olores.

CXXXII. FRIDERICI. II:

Minarum strepitus, asinorum crepitus.

Quid crepitus asini, strepitusq; nocere minarum
Possunt? O miser es, si moriere minis.

Alius:

Si moriere minis asini tumulabere bombis.

CXXXIII. RUDOLPHI I:

Melius bene imperare, quam imperium amplificare.

Est melius regnare piè, quam quærere ferro
Imperii fines amplificare sui.

Thomas Morus Anglus:

Regibus ex multis regnum cui sufficit unum,
Vix Rex unus erit, si tamen unus erit.
Regibus ê multis regnum bene qui regat, unum,
Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

CXXXIV. ADOLPHI:

Animus est qui divites facit. *Vel:* Pecuniâ vir potior.

Est animus verè qui ditat, vir quoq; nummis
Est potior, nummi sunt nihil absq; viro.

Hor. 2. Serm. 9.

Et genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

CXXXV.

CXXXV. ALBERTI I.

Quod optimum, idem jucundissimum.

Optima si quævis sunt jucundissima, summum
Nonnè bonum nobis gaudia summa dabit?

Jacob. Bill. Anthol. Sac.

Felices verè faciunt semperq; beatos
De vero & summo gaudia nata bono.

CXXXVI. HENRICI. VII.

Calix vitæ, calix mortis.

Fit mortis, vivendo calix vitæ: tibi certæ
Sed vitæ, mortis fit moriendo calix.

Senec. Herc. Fur: A. 3. Chor:

Prima quæ vitam dedit hora carpsit.

CXXXVII. LUDOVICI. V. aliis. IV.

Sola Bona quæ honesta.

Frustra sollicitus modò contrahis utile quid sit;
Utilis haud res est, ni sit honesta simul.

Periander per Auso:

Nunquam discedat utile à decoro.

At Ovid. 2. Pont. 3.

Cura quid expediat prior est, quam quid sit honestum

CXXXVIII. FRIDERICI PULCHRI.

Anti Cæsaris.

Morte beata nil beatius.

Nulla beata magis res rerum morte beatâ;
Nil vitâ turpi turpius esse potest.

OWenus:

Optima tunc mors est, cum vita est criminis expers:
Mors felix vita est cum tibi cara magis.

CXXXIX. CAROLI. IV.

Optimum alienâ insaniâ frui:

Quæ nocuere docent, faciuntq; pericula cautum:
Alterius rabidâ res bona mente frui.

Ter. Heaut. A. 1. S. 2.

Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.

CXL. WENCESLAI:

Morosophi moriones pessimi.

Indoctus siquis moratur morio demens
Dicitur, est pejor morio morosophus.

Ter: Eunuch. A. 2. S. 2.

Dii immortales, homo homini quid præstat!
Stulto intelligens quid interest!

CXLI. RUPERTI:

Miseria res digna misericordiâ.

Alterius miseram tua commiseratio sortem
Respiciat; res est digna dolore tuo.

Ovid. l. 2. de Ponto Eleg. 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

CXLII. SIGISMUNDI:

Sic cedunt munera fatis.

Fata regunt homines, & cedunt munera fatis;
Ergo quam monstrant fata sequare viam.

Virg.

Virg. l. 5. Æne.

Nate Deâ, quò fata trahunt retrahuntq; sequamur:
Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

CXLIII. ALBERTI. II:

Amicus optima vitæ possessio.

Optima quod nostræ possessio fidus amicus
Sit vitæ, à socio vita remota docet.

Ter. Phorm: A. 3. S. 3.

Solus est homo amico amicus

CXLIV. FRIDERICI III.

Irreperabilium felix oblivio rerum.

Irreparabilium felix oblivio rerum;
Vanaq; præteriti mentio sæpe mali.

Alius:

Nil hæc memeniſſe juvabit,
Quæ semel amissa & reddere nemo potest.

CXLV. MAXIMILIANI. I:

Tene mensuram & respice finem.

Quicquid agis, loqueris, meditaris, respice finem
Mensuramq; tene, sic sapienter ages.

Alius:

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

CXLVI. CAROLI. V:

Plus ultra.

Quid terræ affixus? plus ultra tendito: cœlum
Quærito: plus citra mente quiesce tuâ.

Antolog. Sacr. Andr. Gill:

Ante Oculos tibi pone Deum, ſedesq; beatas:
Sic mundi ſubito fracta cupido ruet.

CXLVII. FERDINANDI. I.

Fiat juſtitia & pereat mundus.

In mundo ſine juſtitia durabile nîl eſt;
Juſtitiæ mundus pareat, aut pereat.

Virgil. l. 6. Æn:

Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos.

CXLVIII. EJUSDEM:

Accidit in puncto, quod non ſperatur in anno.

Accidit in puncto, quod non ſperatur in anno;
In puncto pereunt non reparanda diu.

Plaut. Moſt.

Inſperata accidunt, magis ſæpè, quam quæ ſperes.

CXLIX. MAXIMILIANI. II.

Dominus providebit.

O homo ſollicitas quid curas tendis in ævum?
Deſine: namq; tibi providet ipſe Deus.

Virgil. Eccl. 8.

Nec curare Deum credis mortalia quenquam.

CL. RUDOLPHI. II.

Omia ex voluntate Dei.

Velle ſuum cuiq; eſt: Domini mea ſola voluntas,
Cujus ab arbitrio ſors mea cuncta fluit.

O

OWenus:

Quod tibi contigerit, patienter ferre memento:
Nam certum, fieri numine cuncta Dei.

CLI. MATTHIÆ:

Amat victoria curas.

Non somnum, vigiles sed amat victoria curas,
Curis ex magnis gloria magna venit,

Hor. l. Ep. 1.

Non est conditio dulcis sine pulvere palmæ.

CLII. FERDINANDI II:

Legitimè certantibus.

Non misi legitimè certantibus & generosè
Palma datur; fidei cœlica porta patet.

Horat. l. O. 1.

Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat: metaq; fervidis
Evitata rotis, palmaq; nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

CLIII. FERDINANDI. III.

Pietate & Justitia.

Justitiâ regnum servabitur & pietate;
Quæ duo si tollis vincula, sceptra ruunt.

Ovidius. l. 1. Met.

Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

CLIV. LEOPOLDI. I.

Consilio & industria.

Consilio, quæcunq; facis, facias, studioq;:
Consilium incipiat, perficiat studium.
Horat. l. 3 O. 4.

Vis consilii expers mole ruit suâ. vid. p. 46.

* * *

Hîc concluderem, sed ut suppleantur paginæ, adjicio sequentia:

Cicero in Cat. Maj.

Horæ cedunt, & dies, & menses, & anni: nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest.

Hora repente fugit properant secedere soles;
Ingq; suis vicibus luna repentè fugit.
Annus ut hora fugit, fugit irreparabile tempus:
Nec semel effluxum quis revocare potest.
Cic. Philip. IV.

Quanquam omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia; virtus est una altissimis defixa radicibus: Quæ nunquam ullâ vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.

Omnia sunt instar fluctûs incerta, caduca:
Omnia sunt vento mobiliora, levi.
Sola manet virtus defixa radicibus altis;
Hæc manet in certo certa tenaxq; loco.

Cic.

Cic. pro Milone.

Quando Deus ad puniendum oculos aperit, seras quidem, sed justas tamen ac debitas pœnas soluit.

Tarda quidem vindicta Dei procedit & ira;
Sed cave, terribili cum gravitate venit.

Cic. pro Rosc. Amer.

Commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, â Deo nobis dari atq; impertiri videmus.

Lucem, qua fruimur, tenuem, qua vescimur, auram:
Commoda queis alimur, cuntaq; queis opus est;
Illa Dei, mundum quæ condidit atq; gubernat,
Larga,, dedit nobis, datq; benigna manus.

Cje. l. 3. Offic.

Omnes expetimus utilitatem, ad ad eamq; rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui eâ non studiosissimè persequatur.

Omnes expetimus jucundas utilitates:
Possumus haud aliter, quin cupiamus eas;
Utile, qui fugiant quot sunt? quis non sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis?

Cic. l. 1. Offic.

Ea est jucundissima amicitia quam similitudo morum conjugavit.

Con-

Conveniens morum concordia cordis & oris,
Dulcis amicitiæ vincula firma facit.

Cic. 2. de Divinat.

Nihil est tam contrarium rationi & constantiæ, quam fortuna.

Nulla magis firmæ res est contraria menti,
Quam fortuna, bonis durior, æqua malis.

Cic. Antequam iret in exil.

Liberale est serere beneficium, ut metere possis fructum.

Ut plus reddit ager, quam cepit; sic quoq; plures
Ille metet fructus, qui benefacta serit.

Cic. pro M. Marcello.

Fortuna est rerum omnium Domina.

Pacis ut in studio, sic in certamine Martis
Omnia fortunæ subdita sunt Dominæ.

Cic. Somn. Scip:

Ii vivunt, qui è corporum vinculis, tanqam è carcere, evolaverunt; hæc verò quæ dicitur vita, mors est.

Præsenti mors est in vitâ, vita paratur
Morte: pari properant vitaq; morsq; pede.
Namq; mori incipimus, quâ primum nascimur horâ;
Horâq;, incipimus vivere, quâ morimur.
Paulatim morimur, paulatim vitaq; crescit;
Tunc verè vives, cum moriere bene.

Cor.

Corporis ê vinclo, ceu carcere, ſolvitur omnis,
Qui moritur; vitæ limina mors aperit.

Cic. Paradox.

Nunquam expletur, nec ſaturatur cupiditatis ſitis: neq; ea ſolum, quæ habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu.

Expletur nunquam nunqaum ſaturatur habendi
Dira fames; Potæ plus ſitiuntur aquæ.
Creſcit ut indulgens ſibi dirus hydropicus, æſtum
Nec pellit, venis ni quoq; cauſa mali
Fugerit ex tumidis, & aquoſus corpore languor;
Auri ſic nitidi creſcit avara ſitis.
Non tantum curis magnoq; labore parantur,
Sed quoq; majori poſt cumulantur opes.
Quin cumulatarum miſera eſt cuſtodia rerum,
Angit, ne pereant parta, ſubinde metus.

Cic. pro Archiâ Poetâ.

Studia literarum adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant: adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Ar-

Artibus ingenuis ſtuduiſſe potiſſima laus eſt,
Et litteras quemvis edidiciſſe juvat.
Dulcia nam juveni præbent alimenta, ſenectam
Oblectant triſtem, triſtitiamq; fugant.
Rebus in adverſis ſolamina grata miniſtrant:
Rebus & in placidis ſunt decus eximium.
Artes nos ſolæ comitantur ubiq; locorum,
Per mare, per ventos, barbariemq; feram.
Artes ergo diu conſervet, protegat, atq;
Harum Patronos ſuſcitet ipſe DEUS.

CUI GLORIA SOLI.

Fr. Keppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281/phys_0183
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730521281/phys_0184
DFG

Corporis ê vinclo, ceu carc
Qui moritur; vitæ limi

Cic. Parad

Nunquam expletur, nec
sitis: neq; ea solum, quæ
gendi cruciantur, sed eti

Expletur nunquam nunqa
Dira fames; Potæ plus s
Crescit ut indulgens sibi dir
Nec pellit, venis nî quog
Fugerit ex tumidis, & aq
Auri sic nitidi crescit av
Non tantum curis magnoq
Sed quoq; majori post cu
Quin cumulatarum mise
Angit, ne pereant part

Cic. pro Arc

Studia literarum adoles
tem oblectant, secundas
perfugium ac solatium
mi, non impediunt foris,
peregrinantur, rusticant

omnis,
rit.

cupiditatis
bidine au-
di metu.
habendi
us, æstum
languor;
ntur,
es.
a rerum,
etus.

t, senectu-
: adversis
ectant do-
nobiscum,

Ar-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521281/phys_0185
DFG